NUMISMATA ORIENTALIA

aere expressa,

brevique explanatione enodata,

opera et studio

JONAE HALLENBERG,

Regni Sveciae Historiographi.

Diarbekr March 28th 1862.

Particula Prior.

Upsaliae, PALMBLAD & C.,

MDCCCXXII.

NUMISMATA ORIENTALIA

ÆRE EXPRESSA

BREVIQUE EXPLANATIONE ENODATA.

Nummos nostra ante hac opera editos prior opusculi hujus particula complectitur, quos vero locupletiore aliquantum commentario, itemque a viris illustribus humanissime edocti, emendatiore passim jam exhibemus interpretatione.

Libello, Stockholmiae MDCCXCVI. impresso, hocque insignito titulo: *Ex occasione nummi cufici de nominis Dei Gud in Suiogothica cognatisque linguis origine disquisitio historica et philologica*, nummum cuficum praefiximus hispanicum, his inscriptionibus insignem:

I. Pars antica habet

in Area:

لا اله الا

الله وحده

لا شريك له

1

Non est Deus, nisi
Deus unicus,
non est socius illi.

Ad marginem:

بِسْمِ ٱللَّهِ ضُرِبَ هَذَا ٱلدِّرْهَمُ بِٱلْأَنْدَلُسِ
سِنَةِ سَبْعٍ وَمِيَةٍ

In nomine Dei cuditur hic Dirhem (hic nummus argenteus, cusa est haec Drachma) *in Andalusia anno septimo et centesimo.*

II. Pars postica habet
in Area:

ٱللَّهُ أَحَدٌ ٱللَّهُ
ٱلصَّمَدُ لَمْ يَلِدْ وَ
لَمْ يُولَدْ وَلَمْ يَكُنْ
لَهُ كُفُوًا أَحَدٌ

Deus est unus, Deus est
aeternus, neque gignit,
neque generatur, neque est
ei compar unus.

Ad marginem:

مُحَمَّدٌ رَسُولُ ٱللّٰهِ أَرْسَلَهُ بِٱلْهُدَى وَدِينِ ٱلْحَقِّ

لِيُظْهِرَهُ عَلَى ٱلدِّينِ كُلِّهِ وَلَوْ كَرِهَ ٱلْمُشْرِكُونَ

Mohammed est legatus Dei, quem misit cum manuductione et religione vera, quo eam extolleret super religiones omnes, si vel refragarentur associantes.

Per Andalusiam, ubi cusus dicitur nummus, Arabes generatim intelligunt Hispaniam; quoniam provincia Hispaniae, de nomine Wandalorum dicta *Vandalia*, *Wandalusia*, prima erat, quam imperio suo subjiciebant Arabes anno fugae 92, Chr. 710. duce *Tharik ben Zaid* طارق بن زايد; exinde totam peninsulam vocarunt Andalus, et *Ardh al Andalus* ارض الاندلس *terra Andalus*. Clima quintum, inquit in Elementis suis astronomicis Muhammed Ferganensis, ab oriente deductum, intra Romanorum fines excurrit, *deinde per regionem Andalusiae* ثم علي بلاد الاندلس donec desinat ad mare Hesperium.

Scherif al Edris, perperam Geographus

Nubiensis dictus, anno fugae 548, Chr. 1153, opus scripsit geographicum, cui titulum praefixit: *Oblectamentum cupidi in divisione mundi partium*, (Principi) *Rugjero dedicatus*,

نزهة المشتاق في افتراق الافاق كتاب لرجر

nüzheti elmüschták fi iftirák eláfák kitáb lirugjer. In eodemque opere de Hispania refert:

ان هذا الجز الاول من الاقليم الرابع مبدوة من المغرب الاقصى حيث البحر المظلم ومنه يخرج خليج البحر الشامي وفي هذا البحر المرسوم بلاد الاندلس المسماة باليونانية اشبانيا

Haec prima pars quarti climatis incipit ab extremo occidente, ubi est mare obscurum (occidentale) *ex quo procedit sinus maris mediterranei, ubi insignis est regio Andalus, nominata Graece Ischbania* (Description de Espanna de Xerif Aledris, con traduccion y notas de Don Josef Antonio Conde. Madrid 1799. 8:o).

Quod in epitaphio regis Castiliae Ferdinandi III. Latine dicitur *tota Hispania*, Hebraice *col sepharad*, כל ספרד, *tota Hisperia*, idem Arabice sonat *gjemi' — l — andalus*, "tota Andalusia": est nimirum epitaphium illud hujus tenoris

Arabice: هنا هو قبر الملك المعظم دون فرانده
صاحب قشتيلية وطليطية وليون وغليسية
واشبيلية وقرطبة ومرسية وخيان رحمة الله عنه
الذي استغني جميع الاندلس * الاوفا الصدق
الادوم الاعدل الاشجع الاجهر الاكرم الاحلم
الاترا والاكبر تواضعا الاليق لله والاكبر خدمة *
رحمة الله ليلة يوم الجمعة * اخذ الله ورفع
واكرم جميع احبابه واستملك مدينة اشبيلية
التي هي راس جميع الاندلس وتوفا بما له
الذي كسر واباه جميع الاعادا في العشرين من
شهر ربيع الاول سنة خمسين وستماية الهجرة

Latine redditum: "Hic est tumulus maximi Regis Domini Castellae, et Toleti, Legionis, Galliciae, Hispalis, Cordubae, Murciae, atque Jaeni: Deo gratissimi: qui universam Hispaniam recuperavit: vir fidelissimus, veracissimus, constantissimus, aequissimus, fortissimus, optimus, liberalissimus, imperio mitissimus, humillimus, Deo ejusque obsequio maxime addictus, cujus Deus misertus est horis vespertinis feriae sextae: qui selectos tuos amicos omnes honoribus et praemiis cumulavit: qui Hispalim urbem, quae totius Hispaniae caput

NUMISMATA ORIENTALIA

aere expressa,

brevique explanatione enodata,

opera et studio

JONAE HALLENBERG,

Regni Sveciae Historiographi.

Particula Prior.

Upsaliae, PALMBLAD & C.,

MDCCCXXII.

NUMISMATA ORIENTALIA

aere expressa,

brevique explanatione enodata,

opera et studio

JONAE HALLENBERG,

Regni Sveciae Historiographi.

Particula Prior.

Upsaliae, PALMBLAD & C.,

MDCCCXXII.

NUMISMATA ORIENTALIA

ÆRE EXPRESSA

BREVIQUE EXPLANATIONE ENODATA.

Nummos nostra ante hac opera editos prior opusculi hujus particula complectitur, quos vero locupletiore aliquantum commentario, itemque a viris illustribus humanissime edocti, emendatiore passim jam exhibemus interpretatione.

Libello, Stockholmiae MDCCXCVI. impresso, hocque insignito titulo: *Ex occasione nummi cufici de nominis Dei Gud in Suiogothica cognatisque linguis origine disquisitio historica et philologica*, nummum cuficum praefiximus hispanicum, his inscriptionibus insignem:

I. Pars antica habet

in Area:

لا اله الا

الله وحده

لا شريك له

Non est Deus, nisi
Deus unicus,
non est socius illi.

Ad marginem:

بِسْمِ ٱللَّهِ ضُرِبَ هَذَا ٱلدِّرْهَمُ بِٱلْأَنْدَلُسِ
سَنَةَ سَبْعٍ وَمِئَةٍ

In nomine Dei cuditur hic Dirhem (hic nummus argenteus, cusa est haec Drachma) *in Andalusia anno septimo et centesimo.*

II. Pars postica habet
in Area:

ٱللَّهُ أَحَدٌ ٱللَّهُ
ٱلصَّمَدُ لَمْ يَلِدْ وَ
لَمْ يُولَدْ وَلَمْ يَكُنْ
لَهُ كُفُوًا أَحَدٌ

Deus est unus, Deus est
aeternus, neque gignit,
neque generatur, neque est
ei compar unus.

Ad marginem:

مُحَمَّدٌ رَسُولُ ٱللَّهِ أَرْسَلَهُ بِٱلْهُدَى وَدِينِ ٱلْحَقِّ

لِيُظْهِرَهُ عَلَى ٱلدِّينِ كُلِّهِ وَلَوْ كَرِهَ ٱلْمُشْرِكُونَ

Mohammed est legatus Dei, quem misit cum manuductione et religione vera, quo eam extolleret super religiones omnes, si vel refragarentur associantes.

Per Andalusiam, ubi cusus dicitur nummus, Arabes generatim intelligunt Hispaniam; quoniam provincia Hispaniae, de nomine Wandalorum dicta *Vandalia*, *Wandalusia*, prima erat, quam imperio suo subjiciebant Arabes anno fugae 92, Chr. 710. duce *Tharik ben Zaid* طارق بن زايد; exinde totam peninsulam vocarunt Andalus, et *Ardh al Andalus* أرض الاندلس *terra Andalus.* Clima quintum, inquit in Elementis suis astronomicis Muhammed Ferganensis, ab oriente deductum, intra Romanorum fines excurrit, *deinde per regionem Andalusiae* ثم علي بلاد الاندلس donec desinat ad mare Hesperium.

Scherif al Edris, perperam Geographus

Nubiensis dictus, anno fugae 548, Chr. 1155, opus scripsit geographicum, cui titulum praefixit: *Oblectamentum cupidi in divisione mundi partium*, (Principi) *Rugjero dedicatus*,

نزهة المشتاق في افتراق الافاق كتاب لرجير

nüzheti elmüschták fi iftirák eláfák kitáb lirugjer. In eodemque opere de Hispania refert:

ان هذا الجزء الاول من الاقليم الرابع مبدوه
من المغرب الاقصي حيث البحر المظلم ومنه
يخرج خليج البحر الشامي وفي هذا البحر
المرسوم بلاد الاندلس المسماه باليونانية
اشبانيا

Haec prima pars quarti climatis incipit ab extremo occidente, ubi est mare obscurum (occidentale) *ex quo procedit sinus maris mediterranei, ubi insignis est regio Andalus, nominata Graece Ischbania* (Description de Espanna de Xerif Aledris, con traduccion y notas de Don Josef Antonio Conde. Madrid 1799. 8:o).

Quod in epitaphio regis Castiliae Ferdinandi III. Latine dicitur *tota Hispania*, Hebraice *col sepharad*, כל ספרד, *tota Haisperia*, idem Arabice sonat *gjemi' — l — andalus*, "tota Andalusia": est nimirum epitaphium illud hujus tenoris

Arabice: هنا هو قبر الملك المعظم دون فراندة
صاحب قشتيلية وطليطية وليون وغليسية
واشبيلية وقرطبة ومرسية وخيان رصة الله عنه
الذي استغني جميع الاندلس * الاوفا الصدق
الادوم الاعدل الاشجع الاصبر الاكرم الاحلم
الابرا والاكبر تواضعا الاليق لله والاكبر خدمة *
رحمة الله ليلة يوم الجمعة * اخذ اله ورفع
واكرم جميع احبابه واستملك مدينة اشبيلية
التي هي راس جميع الاندلس وتوفا بما له
الذي كسر واباد جميع الاعدا في العشرين من
شهر ربيع الاول سنة خمسين وستماية الهجرة

Latine redditum: "Hic est tumulus maximi Regis Domini Castellae, et Toleti, Legionis, Galliciae, Hispalis, Cordubae, Murciae, atque Jaeni: Deo gratissimi: qui universam Hispaniam recuperavit: vir fidelissimus, veracissimus, constantissimus, aequissimus, fortissimus, optimus, liberalissimus, imperio mitissimus, humillimus, Deo ejusque obsequio maxime addictus, cujus Deus misertus est horis vespertinis feriae sextae: qui selectos tuos amicos omnes honoribus et praemiis cumulavit: qui Hispalim urbem, quae totius Hispaniae caput

est, ubi obiit, expugnavit: qui tandem hostium omnium vim fregit, penitusque delevit: idque die vigesima mensis Rabie prioris anno Hegirae sexcentesimo quinquagesimo (a)."

Feria sexta mensis Rabie prioris anno hegjrae 650, respondet diei 31 Maji anno aerae Christianae vulgaris 1252.

Urbs Baeticae Hispaniae clarissima, a Graecis dicta Κορδύβη, a Romanis Corduba, ab Arabibus *Kortebah* قرطبة metropolis erat imperii in Hispania musulmanici:

في المغرب قرطبة دار ازر ملك الاندلس

in occidente Kortebah metropolis est regis Andalusiae, inquit eruditissimus ille Princeps Ulug Begj, qui saeculo aerae Christianae decimo quinto Tabulam geographicam de situ quarumdam regionum Persice scripsit. *Seratsch Eddin ben Omar Alvardi*

سراج الدين بن عمر الوردي

saeculi decimi quarti scriptor Arabs, de Corduba praeter alia haec refert:

a) *Elogios del santo Rey D:n Fernando. En Madrid* 1754. 4:o.

من مدن الاندلس المشهورة قرطبة وهي قاعدة الاندلس بدار الخلافة الاسلامية وهي مدينة عظيمة

inter urbes Andalusiae celebres est Cordaba, metropolis regionis Andalusiae, et sedes Chalifarum islamicorum, quae magni quoque momenti civitas est. Nomen urbis est e lingua Phoenicum *karta tuba* קרתא טובא *urbs bona, pretiosa, dives.*

Chalifae orientales e stirpe Ommiah, quorum regia Damascus erat, suos habuerunt Emiros vel gubernatores in Hispania, qui in urbe primaria Corduba nummos cudi fecerunt, quorumque, qui sub primis istis Emiris sunt conflati, cum ommiadarum asiaticorum argenteis in omnibus concordant. (Ol. Gerh. Tychsen, *Introd. in rem numar. Muhamm. p. 60. Rostoch 1794. 8:o.)*

Est ex horum numero noster hic Dirhem, cusus itaque Cordubae *anno fugae* seu *transmigrationis* هجرة سنة *senei higjreh*, septimo et centesimo, qui respondet anno aerae Christianae septuagesimo vigesimo quinto, a die decima octava mensis Maji, ad diem septimam Maji anni sequentis.

Ob punctorum in nummis cuficis diacriticorum absentiam voces Arabicae سبع *septem*, et تسع, *novem* vix interdum distingui possunt; at in nostro nummo ne haec solita quidem permixtio locum habet, quum litterae *sin* et *be* evidenter sint disjunctae, *be* in medio locum tuente, quemadmodum adcurata quoque delineatione est adumbratum; ut de anno, quo cusus sit numus, ne levicula haec oriri possit hallucinatio.

Aera Hegirae, qua utuntur Arabes et Mohammedani, initium ducit a fuga Mohammedis facta juxta usum civilem die Veneris 15 Julii, juxta Astronomos autem, et quosdam historicos 16 Julii anno Christi 622. Anni hujus aerae sunt lunares, adeoque diversis annorum solarium partibus illorum initia respondent, suntque 11 diebus annis solaribus breviores *a)*.

Principis Indiae Ulug Beigi de *Tarich higjri* تاريخ هجري *Epocha Hegirae* traditio haec est: اول اين تاريخ اول محرم آن سال بوده

a) Ant. Pilgram, *Calendarium chronol.* p. XII. *Vien.* 1781. 4:o.

است که بیغمبر ما محمد مصطفي علیه الصلوة
و السلام از مکه بمدینة هجرت کرده است و
آن بامر اوسط بنجشنبه بوده است و برویت
ازینه و ما بنجشنبه کرفتیم و اهل شرع ما
هماي این تاریخ را از رویت هلال تا رویت
هلال کیرند و آن هر کز از سي روز زیاده
نباشد و از بیست و نه روز کمتر نیي و تا جهار
ماه متوالي سي سي آید و زیادتي نیي و تا سه
ماه متوالي بیست و نه بیست و نه و
زیاوة نیي و هر دوازده ماه را سالي کیرند بس
سالها و ماهها باعتبار ایشان قمري حقیقي باشد
و منجمان محرم را سي روز کیرند و صفر را
بیست و نه کیرند و همچنین یکماه سي و
یک ماه بیست و نه کیرند تا آخر سال ودر
هر سي سال یازده بار ذو الحجه را سي سي
کیرند و آن در سال دوم و بنجم و هفتم و
دهم و سیزدهم و بانزدهم و هزدهم و بیست
و یکم و بیست وجهارم و بیست و ششم و
بیست و نهم باشد و این یازده سالهاي کبیسه
باشد و در لفظ بهز یجهح ادوط جمع است و
بعضي بجاي بانزدهم شانزدهم را کبیسه دارند

بدين ترتيب بهز يجوح اوسط باشد پس باعتبار منجمان سالها و ماهها قمري اصطلاحي باشد، "Initium hujus epochae est principium Moharram illius anni, in quo propheta noster *Mohammedes Mostafa*, cui benedictio et pax sit, a Mecca ad Medinam migrabat; et illud secundum medium calculum, est feria quinta *(dies Jovis)*; sed secundum phasin Lunae, dies Veneris. Nos autem feriam quintam accipimus. Populus religionis *(Mohammedani)* menses hujus epochae a phasi novilunii ad phasin sequentis novilunii numerant; atque hoc intervallum nunquam triginta dies excedet, neque minus erit novem et viginti: ita ut quatuor menses alternatim consequentes triginta dierum sint, et tres viginti novem, sine ullo utrinque excessu. E duodecim mensibus annum constituunt. Anni itaque, et menses, secundum eorum usum, sunt Lunares veri. Astronomis *Moharram (mensis primus)* triginta est dierum, et *Safar* (*mensis secundus*) undetriginta: et similiter mensium unus, triginta dierum, et alius undetriginta, usque ad finem anni. Singulis autem annis tricenis, mensem *Dulheggiah* (mensis anni duo-

decimus et ultimus) undecies constituunt triginta dierum. Atque hoc fit anno secundo, et quinto, et septimo, et decimo, et decimo tertio, et decimo quinto, et decimo octavo, et vicesimo primo, et vicesimo quarto, et vicesimo sexto, et vicesimo nono. Hi undecim sunt embolimaei, et vocibus بَهَزْ يَجَهَحْ أَدَوَطْ *bahaz jagjahah adawat* comprehenduntur. Sed quidam, loco decimi quinti, constituunt decimum sextum embolimaeum. Unde ordo erit بَهَزْ يَجَوَحْ أَدَوَطْ *bahaz jagjawah adawat.* Demum ex recepto Astronomorum usu, anni et menses erunt communes Lunares *a).*"

Hactenus Ulug Begj. Vocabula illa mnemonica بهز rel. significant numerus 2, 5, 7, 10, 13, 15, et secundum alterum ordinem 16, porro 18, 21, 24, 26, 29; nimirum littera ب est 2, ه 5, ز 7, ي 10, quae deinde addita litterae ج 3, facit 13, addita ه 5, facit 15 addita ح 8, facit 18, et sic in ceteris.

Ipsa Muhammedis fuga incidit in noctem inter dies 15 et 16 Julii, aerae Christianae

a) Ulug Begj *Epochae celebriores, quas publicavit Joh. Gravius. Lond.* 1650. 4:o.

vulgaris Dionysiacae 622. Cum enim in urbe Mecca, invito magistratu, doctrinam suam divulgaret Mohammedes, coactus tandem fuit urbem illam deserere, et *Jatsribam* يثرب quod oppidum erat exiguum, decem dierum itinere a Mecca distans, confugere; ubi a civibus cum gaudio exceptus, visum ei fuit imperii sui sedem collocare. Meccae natus et educatus decem annos doctrinam suam clam primum, deinde palam sparsit: Jatsribae, omni excusso subjectionis jugo, Princepsque factus politicus simul atque ecclesiasticus, totidem annos imperavit et docuit; ibidemque mortuus est, *annos natus sexaginta tres, aut, secundum alios, sexaginta quinque,* ثلاث وستين سنة وقيل خمس وستين سنة referente Georgio Elmacino. Obiit anno a fuga sua undecimo: qui incepit die undecima mensis Martii anno Chr. 632. Urbs Jatsrib nominata est *Medinat al nabi (Medinetii—n—nebi)* مدينة النبي *civitas Prophetae*, vocaturque simpliciter *Medina*, nomine Jatsrib penitus abolito. Omar, tertius Moslimorum imperator, *primus ab anno Hegirae supputavit, et litteras subsignavit* اول من ارخ بعام الهجرة وختم الكتب *a*).

Inscriptio in area nummi antica priorem partem symboli Muhammedanorum fidei continet: omnia quippe Mohammedanae sectae, quam orthodoxam praedicant, dogmata contineri dicuntur hac formula: لا اله الا الله محمد رسول الله *non est Deus praeter Deum; Mohammed est legatus Dei.* Professio illa fidei vocatur *es-schehādet* الشهادة professio κατ' ἐξοχήν, itemque *kelimetei-s-schehādet* كلمتي الشهادة duo membra professionis fidei. Atque ad aeternam salutem consequendam haec duo credere sufficit. *Allah* أَللّٰهُ est nomem proprium veri Dei, cujus nonaginta novem dicuntur esse cognomina; derivatur a verbo أَلَهَ coluit, adoravit, hic fit إِلَاهٌ, quod, omisso, compendii causa, elif, scribitur إِلَهٌ, cum articulo أَلْإِلَهُ et contracte أَللّٰهُ utrumque et اله et الله in symbolo occurrit, prius respondet Graeco Θεος, posterius Graeco ὁ Θεος.

Inscriptio nummi in antica parte ad marginem incipit بسم الله *in nomine Dei;* namque

a) Elmacin, p. 26.

omnes actiones omniaque scripta invocando nomine Dei auspicantur Muhammedani, et بسم الله الرحمن الرحيم *in nomine Dei summe misericordis*, trita illa et communis formula est, qua cuncta Alcorani capita, praeter nonum, inchoantur; et quum grammatica Arabum ars praeceptorum compages sit ex verbo Dei collectorum, ut ipsi loquuntur, quilibet scriptores Arabum ad Alcoranum, qui illis est verbum Dei, sese conformare student, unde et illa sententia scriptis quibuscumque praefigitur. Vocula بسم *in nomine*, id peculiare in ista sententia habet, quod elif unionis in اسم *nomen*, excidat, cum extra hanc perpetuo maneat et scribatur باسم; ad mysteria religionis et id pertinet, quod ultima littera a binis primis longissime protrahatur ut بســــــم.

De gravi, quod voculae isti بسم pondere insit, ipsum quoque mundi Salvatorem testimonium perhibuisse, doctores tradunt Mohammedani:

قال ابو سعيد الخدري قال النبي ان عيسي
ابن مريم عليهم السلام ارسلته امه الي الكتاب
ليتعلّم فقال له المعلّم قل بسم الله الرحمن

الرحيم فقال عيسي وما بسم الله قال لا ادري
قال الباء بهاء الله والسين سناء الله
والميم ملكه

Dixit Abu Said Hadriensis, dixisse prophetam (Muhammedem): *Jesum filium Mariae, quibus sit pax! missum fuisse a matre sua, ut litteras addisceret sub praeceptore. Dixitque ei praeceptor: Dic: In nomine Dei miseratoris misericordis. Dixit ei Jesus: quid significant in dictione* بسم *besmi tres characteres* b. s. m.? *respondit* praeceptor: *nescio.* Jesus vero *dixit: littera* b. significat: *bahà Allah* (id est majestas Dei) *littera* s. *sanà Allah*)id est celsitudo Dei) *littera* m. *malcoho* (id est regnum ejus) *a*).

De formula illa:

بسم الله لرحمن الرحيم

quae cunctis praefigitur scriptis moslemicis, sic judicat Nizami poeta persicus:

بسم الله الرحمن الرحيم
هست كليد در كنج حكيم

"bismillâhi-r-rahmani-r-rahîm
hest kilîdi deri kendsji hækhîm"

a) **Marraccii** ***Alcoran. p. 2.***

Sentential ista:

In nomine Dei miseratoris misericordis
est clavis januae thesauri sapientis.

Nummus noster in area postica totam exhibet Suram Alcorani CXII, praeter duo prima vocabula: قُلْ هُوَ *dic est:* Deus unus. Cet. Inscribitur eadem Surah *alachlás* الاخلاص *sinceritas* seu sincerificatio, et *altauhid, et tewhid* التوحيد *unitas*, professio unitatis Dei; quia hoc Corani caput sincerae fidei et religionis de *unico Deo* professionem continet; illud quoque Beidavius doctor Moslemicus asserit aequivalere *tertiae parti Alcorani*, انها تعدل ثلث القران et Zamachscherius, alius doctor Moslemicus, *cum*, inquit, *Mohammed, cui propitius sit Deus et benedicat! audisset quemdam legentem Suram: Dic est Deus unus, dixit: meruit. Dictum fuit illi: quid meruit, o Legate Dei? respondit; meruit illi paradisum;*

عن رسول الله صلّي اللّه عليه وسلّم انه سمع
رجلا يقرأ قل هو الله احد فقال وجبت: قيل
يا رسول الله وما وجبت قال وجبت له الجنّة

Ex relatione Aisae habetur, verba sunt Jahjae alius doctoris Moslemici, *quod, cum propheta*

(Mohammedes) cui propitius sit Deus et benedicat! recipiebat se somni causa ad stratum suum; conjungebat ambas palmas manuum suarum; deinde exspuebat in eas, et legebat Suram: Dic est Deus unus; et duas Suras Confugiarias: deinde confricabat utraque palma id, quod poterat de corpore suo, inclinans caput, et convertens illud ad eam partem, quam attrectabat de corpore suo, et hoc ter faciebat;

وقد رويت عن عايشة ان النبي صلي الله
عليه وسلم كان انا اوي الي فراشه جمع كفيه
ثم نفث يعني بصق فيهما و قرأ قل هو الله
احد والمعوذتين ثم مسح بهما ما استطاع من
جسده يبتدا على راسه متحوّل الي ما نال من
بدنه يفعل ذلك ثلاثا

Duae Surae Confugiariae sunt CXIII et CXIV, quae incipiunt قُلْ أَعُوذُ بِرَبِّ *dic confugio ad Dominum;* quas simul cum Sura CXII cubitum iens Mohammedes legisse traditur.

De Sura hac in nummis Arabum inscripta centesima duodecima, simulque de Sura nona,

Sura poenitentiae dicta, ex ore ipsius Mohammedis hujusmodi verba referuntur:

ما نزل القران عليّ الا ايةً ايةً وحرفًا حرفًا ما
خلا سورة براءة وقُلْ هُوَ ٱللَّهُ أَحَدٌ فانّهما أُنزلا
عليّ ومعهما سبعون الف صفّ الملايكة

Non revelatus fuit mihi Alcoranus, nisi per singulos versus, et singulas voces: excepta Sura Poenitentiae, et Sura: Dic: ipse est Deus unus; nam hae integrae revelatae sunt mihi: et cum eis descenderunt septuaginta millia angelorum.

Inscriptio ad marginem in numi parte postica desumta est ex Alcorani Capite LXI: v. 9, collatis simul Capitibus IX: v. 33, et XLVIII: v. 28. Nomine *associatorum*, المشركون, qui Deo socium tribuunt, Mohammedes ejusque sectatores intelligunt veteres Arabes, qui cultum divinum inter Deum partiti sunt et idola atque angelos: *posuerunt*, verba sunt Mohammedis in Alcorano, *Deo socios genios* وَجَعَلُوا لِلَّهِ شُرَكَآءَ ٱلْجِنَّ. Beidavius autem جنّ explicat per *angelos* الملايكة, rationem addens: propterea quod coluerunt eos, et dixerunt: *ange-*

ii sunt filiae Dei الملايكة بنات الله. Porro referuntur inter associantes non solum cultores idolorum quoscumque, sed etiam Judaei simul atque Christiani.

Exhortatur ergo sectatores suos Mohammedes, ut pugnarent contra eos, qui non crederent in Deum, neque in diem novissimum; nec prohiberent id, quod prohibuit Deus et Legatus ejus; nec profiterentur religionem veram, ex iis, quibus traditus fuit liber, *(id est ex Judaeis et Christianis)* donec persolvant tributum a manu, (*id est manibus suis*) et ipsi sint parvi, (*id est humiles ac subjecti.*) وَقَالَتِ

الْيَهُودُ عُزَيْرٌ ابْنُ اللَّهِ وَقَالَتِ النَّصَارَى الْمَسِيحُ

ابْنُ اللَّهِ ذَلِكَ قَوْلُهُمْ بِأَفْوَاهِهِمْ يُضَاهِؤُنَ قَوْلَ

الَّذِينَ كَفَرُوا مِنْ قَبْلُ قَاتَلَهُمُ اللَّهُ أَنَّى يُؤْفَكُونَ *

اتَّخَذُوا أَحْبَارَهُمْ وَرُهْبَانَهُمْ أَرْبَابًا مِنْ دُونِ

اللَّهِ وَالْمَسِيحَ ابْنَ مَرْيَمَ وَمَا أُمِرُوا إِلَّا لِيَعْبُدُوا

إِلَهًا وَاحِدًا لَا إِلَهَ إِلَّا هُوَ سُبْحَانَهُ عَمَّا يُشْرِكُونَ *

يُرِيدُونَ أَنْ يُطْفِئُوا نُورَ ٱللَّهِ بِأَفْوَاهِهِمْ وَيَأْبَي
ٱللَّهُ إِلَّا أَنْ يُتِمَّ نُورَهُ وَلَوْ كَرِهَ ٱلْكَافِرُونَ * هُوَ
ٱلَّذِي أَرْسَلَ رَسُولَهُ بِٱلْهُدَي وَدِينِ ٱلْحَقِّ
لِيُظْهِرَهُ عَلَي ٱلدِّينِ كُلِّهِ وَلَوْ كَرِهَ ٱلْمُشْرِكُونَ *

"Et dicunt Judaei: Ozair (Ezra) est filius Dei. Et dicunt Christiani: Messias est filius Dei. Hoc dictum eorum in oribus ipsorum: imitantur dictum eorum qui infideles fuerunt antea. Oppugnet eos Deus. Quomodo mentiuntur? Acceperunt Judaei pontifices suos: et Christiani monachos suos in dominos praeter Deum; et Messiam filium Mariae. Et non fuit praeceptum illis, nisi ut colerent Deum unum; non est Deus, nisi ipse; laus ejus *(id est procul absit)* ab eo, quod associant *(illi)*. Volunt exstinguere lumen Dei oribus suis: sed renuet Deus, ut non perficiat lumen suum, *(sed adversabitur Deus, nec tamen non perficiet lumen suum)* etiam si aegre ferant infideles. Ipse est, qui misit legatum suum cum directione et religione vera, ad evehendam eam

super religionem omnem, etiam si aegre ferant associantes" *a)*.

Interdum Christiani ab associatoribus sejungi videntur, ut dum poëta Arabs *Ebn al Himmam* ابن الهمام de virgine eximie pulcra pronuntiat:

ولو انها المشركين تعرضت لا تخذوها دون
اصنامهم ربا و لو انها في المغرب تبدو لراهب
لخلا سبيل الشرق واتبع الغربا

Si illa conspecta esset ab associatoribus, illi eam non minoris aestimarent, quam idola sua; si autem visa esset in occidente a religioso Christiano, ille amore ipsius virginis doctrinam de pluralitate personarum in Deo desereret, suscepta aliena b).

Quod Deus filium habere non possit istam Mohammedes rationem affert:

بَدِيعُ ٱلسَّمَوَاتِ وَٱلْأَرْضِ أَنَّي يَكُونُ لَهُ ولد ولم
يَكُونْ لَهُ صَاحِبَةٌ

a) *Alcorani Cap. IX:* 30-33.

b) Ouseley, *Oriental Collections, Vol. II. p.* 172. *Lond.* 1798. *4:o* سبيل الشرق doctrina orientis, سبيل الشرك doctrina de pluralitate Deorum.

"Conditor coelorum et terrae: quomodo habebit filium, cum non habeat uxorem" *a*). Hortatur itaque: *nolite Deo ponere Numina aequalia, quum vos meliora sitis edocti;*

فَلَا تَجْعَلُوا لِلّٰهِ أَنْدَادًا وَأَنْتُمْ تَعْلَمُونَ *b*).

Hac doctrina de unitate Dei, per totum Alcoranum tradita atque inculcata, simul pronuntiat Mohammedes omnia peccata remissionem a Deo consecutura, sed non tamen *alschirk* الشرك *adsociatio*, seu tale peccatum, quo Deo socii tribuuntur: *certe Deus non ignoscet, quod tribuatur illi socius* (alius Deus), *et ignoscet quodlibet, praeter hoc, cui voluerit;*

إِنَّ اللّٰهَ لَا يَغْفِرُ أَنْ يُشْرَكَ بِهِ وَيَغْفِرُ مَا دُونَ

ذَلِكَ لِمَنْ يَشَاءُ

In precibus suis hoc praeterea dogma fidei Mohammedani usque repetunt *c*). *La ilah illa allah*, "non est Deus nisi Deus," elata voce

a) *Alcoran. C. VI: v.* 101.

b) *Alcor. C. II: v.* 22. *IV:* 51.

c) Henningii *Muhammedanus precans*, p. 4, 37, 43, 520. &c.

cantant, et dum his clamoribus intenti sunt, alii corpus caputque continuo agitatu ita quassant, ut viribus et animo non numquam deficiant; alii caput in utrumque humerum in tantum flectunt, ut lassi tandem in terram concidant. Non nulli tanta festinatione, qua inter se certant, et clamore *la ilah illa allah*, repetunt, ut verba illa proferre amplius nequeuntes, vociferationem terminent verbo *hû* هو, *ipse, ipse est*, quod tamquam nomen Dei usurpatur: quoties igitur illud proferunt, corpus inclinant, et manus ad terram demittunt, rursumque se elevant, ac frontem tangunt. Atque hunc clamorem in tantum protrahunt, ut nimio quandoque clamore fessi, spumam alii ex ore emittant, alii ob vim sibi clamoribus illatam facie nigrescant, et velut semimortui in terram labantur, hisque corporis afflictionibus Deum maxime placari putant.

Narrat insuper in itinerario Hierosolymitano testis oculatus Joannes Cotovicus, religiosos quosdam Mohammedanos, natione Indos, accessisse Hierosolymam adorandi causa; quorum quidam, in templum monasterii Salvato-

ris introducti, alta voce exclamabant pluriesque repetebant: *la ilah illa allah isan roh allah Mohammed rasul allah* لا اله الا الله عيسي روح الله محمد رسول الله *non est Deus nisi Deus, Jesus est spiritus Dei, Mohammed est legatus Dei.* Etenim ipsi quoque Mohammedani, Hierosolymam invisentes, Christianorum Messiam et Sanctos suo ritu venerantur atque honorant.

Nummum nostrum studiose jam explicatum singulari tabella delineatum sitstimus. Punctum autem, ut vel levissima ad examen revocentur, quod in numi parte antica inter litteras *wau* et *hha* vocis *wahhdoho*, et in parte postica super *wau* vocis *walam* conspicitur, nihil aliud est, quam centrum circuli, vestigiumque instrumenti, quo cum nummi prototypum demensus est artifex.

Decimus septimus Chalifa, et decimus filiorum Ommiae *Hescham filius Abdolmelici filii Mervanis* هشام بن عبد الملك بن مروان regnavit ab anno fugae 105, Chr. 724, ad a. f. 125, Chr 743; atque secundo imperii ejus anno numus noster cusus est. Gubernator Hispaniae Ambizah ebn Sahim Al Kelbi mortuus

est a. f. 107, Chr. 125, cui successit Azrah ebn Abdollah AlFahri; atque horum alter nummum cudi fecit *a)*.

Anno 1800 Libellum emittebam, Stockholmiae impressum, hoc titulo: *Collectio nummorum Cuficorum, quos aere expressos, addita eorum interpretatione, subjunctoque alphabeto cufico edidit J. H.* Hunc, correctis sollicite interpretationibus, edimus jam paulo auctiorem.

Ad nummi Hispannici, priori huicque opusculo praefixi, insignem in re nummaria usum ulterius illustrandum, litteras adtulisse e re omnino erit, quae sequuntur:

"Illustri ac doctissimo
J. Hallenberg
Regni Sueciae Historiographo &c.
S. P. D.
Olaus Gerhardus Tychsen."

a) Cardonne, *Geschichte*, *übers. von* Ch. G. v. Murr, *I. Th. p.* 84.

"Munus, quo me beasti, tam novitate, quam exquisitae doctrinae copia et rerum varietate ita se mihi commendavit, ut et in deliciis id habeam, et pro hac tua liberalitate et propensa in me voluntate gratum meum animum sine fuco tibi declarem."

"Numus tuus rarissimus aeque ac elegantissimus gratissimum oculis spectaculum praebet, et maximi momenti in re metallica Arabum est. Nam ea confirmat, quae in adiuncto Additamento I. p. 9. sq. a me exposita fuerunt. Seruat quidem Museum Nanianum nummum a. 100 Cordubae procusum, et ipse nuper alium ibidem a. 104 conflatum, cujus extypon cera expressum adiungo, accepi; tuus tamen ob typi elegantiam et integritatem praeprimis dignus erat, qui ceu exemplar, ad quod prouocari tuto possit, proponeretur. Nisi graue tibi sit, abs te enixe peto, ut numorum tuorum cuficorum, quos p. 2. allegas, annum et monetae locum mihi beneuole indices, meque tuo fauore porro complecti haud definas. Vale et iube. Dab. raptim Rostoch. IV Kal. Sept. MDCCXCVI."

In allegato suo libello: *Introductionis in rem*

numariam Muhammedanorum Additamentum I. Rostochii MDCCXCVI, edito, quae huc spectant, haec sunt: "Postquam Chalifa Abdalmalec, teste Makrizio, anno Hegirae LXXVI. Chr. 695 primam officinam monetariam arabicam *Damaschi*, regia Ommiadarum sede, condiderat, et Hedsjadsjo utriusque Irakae gubernatori in mandatis dederat, ut nouae monetae typum per omnes suae ditionis urbes mitteret, ad cujus exemplum argenteos s. drachmas justi ponderis et valoris cuderentur, vix dubitari licet, quin idem Chalifa, Mauritaniae et *Andalusiae* praefectis, eadem jussa describeret. Vt quae fieri jussit, eos fecisse argumento sunt numi *Istachrae* a. 90; *Waseti* a. 91. *Andalusiae* a. 100. *Tangeriae* a 110. percussi. Numi quidem sub Ommiadibus editi nulli adhuc cogniti sunt, qui aliis ac dictis in urbibus prodierint, dubium tamen mihi non est, quin in aliis etiam vastissimi istius imperii urbibus, et inprimis in Aegypto et Arabia felici metallum signatum fuerit."

Idem ille optimus mihique faventissimus Tychsenius, mortalibus jam ereptus, de nummis Arabum antiquis arbiter facile princeps,

terum exhibentur, primi septem, nonus, decimus et duodecimus, ex illis sunt, qui in nummophylacio regio Stockholmiae adservantur; octavum, decimum quartum, vicesimum septimum, et vicesimum octavum, mecum, pro suo in litteras amore, communicabat regni Sueciae ad aulam hispanicam tum Administer, generos. liber Baro Carolus Ehrenswerd; reliqui mei sunt. Juxta seriem annorum, quibus cusi sunt, illos colloco et interpretor. Omnes autem argentei sunt, praeter tres ultimos, qui sunt aenei.

Tabula I.

Nummus I.

I. seu Antica pars.

1. Area:

لَا إِلٰهَ إِلَّا *non est Deus, nisi*

ٱللّٰهُ وَحْدَهُ *Deus unicus,*

لَا شَرِيكَ لَهُ *non est socius illi*

2. Margo:

بِسْمِ ٱللّٰهِ ضُرِبَ هٰذَا ٱلدِّرْهَمُ بِدِمَشْقَ فِي

سَنَةَ تِسْعٍ وَسَبْعِينَ

In nomine Dei cusa est haec Drachma (hic Denarius) *in Demesk* (Damasci) *in anno nono et septuagesimo.*

II. seu Postica pars.

1. Area:

اللّٰهُ أَحَدٌ اللّٰهُ	*Deus unus, Deus*
الصَّمَدُ لَمْ يَلِدْ وَ	*aeternus, non gignit, et*
لَمْ يُولَدْ وَلَمْ يَكُنْ	*non generatur, et non est*
لَهُ كُفُوًا أَحَدٌ	*ei compar unus.*

2. Margo:

مُحَمَّدٌ رَسُولُ اللّٰهِ أَرْسَلَهُ بِالْهُدَى وَدِينِ الْحَقِّ
لِيُظْهِرَهُ عَلَى الدِّينِ كُلِّهِ وَلَوْ كَرِهَ الْمُشْرِكُونَ

Muhammed est Dei legatus, quem misit directione et religione vera, ut illam super omnes religiones superiorem redderet, si vel renuerent associantes.

Annus Hegirae 79, quo cusus est nummus, respondet anno Chr. 698, a die Martii, ad diem 8. Martii anni sequentis.

Nummus hicce, quo Museum Suecicum superbit, paucis post institutam apud Arabes monetam annis, elegantissime procusus, omnium nummorum Arabicorum, huc usque cognitorum, antiquissimus est, ideoque ob raritatem pretiosissimus. Secundus ab eo, teste ill. C. M. Fraehnio, cusus in Wasit a. H. 86, servatur in Museo imperiali Petropolitano Hermitage *a)*.

Primordia monetae Arabicae El Makin ebn ol Amdi, chronographus Arabs Christianus, ad annum hegjrae refert septuagesimum sextum, qui coepit die 21 Aprilis anno aerae vulgaris Dionysiacae 695, imperante Chalifaho post Mohammedem duodecimo, et ex *filiis Ommiae*, vel *Ommayae*, *Umajjae* بني امية quinto, Abdolmelechio filio Mervanis. Simulque docet Hegjagjium (*Hedsjadsium*) Abdilmelechii amicum ac purpuratorum ipsius principem Arabicam primum constituisse monetam:

قال وفي هذه سنة (سنة ست وسبعين) نقش

a) C. M. Fraehnii *de Academiae imperialis scientiarum Petropolitanae Museo numario Muslemimico Prolusio I. Petropoli* 1818, 4:o *p.* 10.

الدنانير والدراهم بالعربية وكان عليها قبل
ذلك كتابة بالرومية وعلي دراهم بالفارسية
واتخذ الحجاج دار الضرب ونقش علي
الدراهم الله صمد

Narrat (nempe Al-Tabari) *hoc anno* (anno sexto et septuagesimo) *cusos fuisse denarios* (aureos) *et drachmas* (argenteas) *Arabice* (cum inscriptione Arabica); *antea vero inscriptionem habuisse* (denarios) *Romanam* (i. e. Graecam) *et Drachmas Persicam; atque Hedsjadsjum primum condidisse officinam monetariam, et incudi curasse drachmis* (haec verba) *Deus aeternus.*

Scriptor, cujus auctoritatem amplexatur et sequitur Elmacinus, quemque testem narrationis citat, est *Abu Gjafar Mohammed ben Gjarir* ابو جعفر محمد بن جرير cognominatus *Al Tabari (Et-tabari)* الطبري Tabarita a provincia Persiae Taberistan, ubi nascebatur anno hegjrae 224, Chr. 838, quique opus chronologicum, *Chronicum magnum* تاريخ كبير dictum, conscripsit.

Ex narratione Elmacini sequitur Arabes

non propria sed extranea usos fuisse moneta, et aurea quidem Graeca, quum in Persia nummi aurei commerciis inserviendis nulli cuderentur, argentea vero Persica, quum nummi argentei Persarum nummos argenteos, auspiciis imperatorum Romano-Graecorum cusos, probitate superarent.

As-Sojuti h. e. Sojutensis, a Sojut, seu Assojut, Aegypti urbe, ubi natus erat, dictus alias Gjelal *(Dschelal)* eddin Abulfadhl Abdorrahhman Muhammed, initia monetae Arabicae ad annum hegjrae refert septuagesimum quintum:

قال صاحب المراة في سنة خمس وسبعين من
الهجرة ضرب عبد الملك ابن مروان علي
الدنانير والدراهم اسم الله تعالي قال الهيثم
وسببه انه وجد دراهم ودنانير تاريخها قبل
اسلام باربعماية سنة عليها مكتوب باسم الاب
والابن وروح القدس فسبكها ونقش عليها
اسم الله تعالي وايات من القران واسم الرسول
صلي الله عليه وسلم واختلفو في صورة ماكتب

Narrat auctor libri el-merat (i. e. speculi): *anno quinto et septuagesimo a fuga cudit Abdolmelec fi-*

lius Mervanis super numis aureis argenteisque nomen Dei altissimi. Cujus rei causa, Haithamo teste, haec fuit, quod inventi essent denarii (aurei) *et drachmae* (argenteae) *quadringentos annos ante Islamismum signatae, quibus inscriptum fuerit:* "In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti," *quos liquefactos recuderit, iisque inscripserit nomen Dei altissimi, versiculos quosdam Corani, et nomen Prophetae* (Muhammedis) *cui Deus propitius sit et benedicat! Dissentiunt autem* (viri docti) *in epigraphis* (horum nummorum) *commemorandis.*

Elmacino adstipulatur Ebn Çotaiba alius scriptor Arabs, qui, cum memorasset Hegjagjium a chalifa Abdolmelechio provinciae Iracae fuisse praefectum, Hedsjadsjius inquit: *eo profectus est anno septuagesimo quinto, et anno septuagesimo sexto nummos aureos argenteosque cudi curavit, epigraphis Arabicis insignes. — Primus, qui cudit drachmas* (nummos argenteos Arabicos), *fuit Abdolmelek.*

فسار اليها سنة خمس وسبعين وضربت له
الدنانير والدراهم بالعربية سنة ست وسبعين
ـــــاول من نقش الدراهم عبد الملك

Abul-Abbâs Ahmed filius Josephi Damascenus, qui Arabice scripsit historiam universalem, in illa de Chalifa Abdolmelec refert:

وهو الاول من تسمي بعبد الملك في الاسلام
واول من ضرب الدنانير والدراهم بسكة الاسلام
كتب عليها القران وكتب فيه بمدينة كذا
التاريخ وكان علي الدنانير قبل ذلك بالرومية
وعلي الدراهم نقش بالفارسية

Hic primus post enatum Islamismum, Abdilmelechii nomine distinctus, primus idem cudit denarios (aureos) *et drachmas* (argenteas) *more moslemico utrobique signatos, verba aliqua Corani iis inscribens, nomine urbis, et aera subadditis. Ante quod tempus denariis* (aureis) *epigraphae Graecae, Drachmis* (argenteis) *Persicae fuerant incusae.*

Quae in historia monetae Arabicae narrat Al-Makrizi de nummis Omari, Chalifae post Muhammedem Islamismi conditorem secundi, deque nummis Moawiae Chalifarum Ommayadarum primi, vix ac ne vix quidem tuta nituntur veritate, ut eruditissimus Dorpatensium Professor Guil. Frider. Hezel gravibus docet argumentis *a*). De decimo Chalifa *Abdallah ben*

Zobair, qui non fuit e filiis Ommiae (Umajjae) عبد الله بن الزبير ليس هو من خلفاء بني امية idem refert Macrizius:

فلما قام امير المومنين عبد الله بن الزبير رضي الله عنهما بمكة ضرب دراهم مدورة فكان اول من ضرب الدراهم المستديرة وانما كانت قبل ذلك ما ضرب منها فانه ممسوح غليظ وصير — وضرب اخوه مصعب بن الزبير دراهم بالعراق وجعل كل عشرة دراهم سبعة مثاقيل واعطاها الناس في العطا حتي قدم الحجاج بن يوسف العراق من قبل امير المومنين عبد الملك بن مروان وقال ما ينبغي ان تترك من سنة الفاسق او قال المنافق شيا فغيرها

Abdallah f. Zobair princeps fidelium Meccae constitutus, omnium primus drachmas rotundas (titulis in orbem ductis praeditas), *quae vero deformes, crassae et resectae fuerunt, percussit, quod nemo ante eum fecerat. — Nec minus frater ejus Massab f. Zobair in Iraca drachmas, quarum de-*

a) *Diatribe de Monetae Arabicae incunabulis. Dorpati* 1808.

cem VII methkalibus respondebant, percussit, quibus homines donavit, donec Al-Hadsjadsj f. Jusuf, quem Abolmalec f. Mervan princeps fidelium Iracam jam miserat, ab instituto improbi aut hypocritae recedere licitum judicans illud mutaret.

Undecimus Chalifah et quartus filiorum Ummayae *Merwan filius Hakemi* مروان بن الحكم Abdallam filium Zobair magno successu oppugnavit, sed ex peste mortuus est anno a fuga 65, Chr. 684; imperante autem ejus filio, Chalifa undecimo et quinto ex filiis Ommajjae *Abdolmalec filius Mervanis* ابد الملك بن مروان interfecti sunt Abdallah f. Zobair ejusque frater Masab f. Zobair a. f. 71. Chr. 690. Pergit itaque Almakrizi:

ثم لما استوسق الامر لعبد الملك بن مروان بعد مقتل عبد الله ومصعب ابني الزبير فحص عن النقود والاوزان والمكايل وضرب الدنانير والدراهم في سنة ست وسبعين من الهجرة

Quum autem post caedem Abdallae et Massab filiorum Zobair, universum imperium ad Abdolmalecum f. Merwan devolutum esset, isque in pecuni-

um, pondera et mensuras diligenter inquisivisset, tum anno a fuga septuagesimo sexto denarios et drachmas cudi fecit.

Scripsit Abdolmelec ad Hedschadschium, ut Macrizius porro narrat, Irakae existentem, ut similes nummos cuderet, qui itaque eos conflavit, talesque in provinciis cusos fuisse locupletissimi et certissimi testes sunt ipsi nummi.

Drachmarum conflator fuit quidam servus Judaeus, dictus *Somair* سمير, unde *drachmas Somairias* الدراهم السميرية appellatae sunt, quarum typum monetalem Abdolmalec ad Hedsjadsjium misit cum mandato, ut eum drachmarum cudendarum causa ad omnes magnas civitates in tractibus extraneis ablegaret.

Narrationem praeterea de causa, qua permotus Abdolmalecus, proprios cudi jusserit nummos, abrogatis Graecis, hanc affert Macrizius: scripsisse dicebatur in epistolis ad imperatorem Graecorum *(Justinianum)* missis: قل هو الله احد *dic hic est Deus unus*, facta quoque prophetae Muhammedis et aerae Muhammedicae mentione; imperatorem autem Grae-

corum hoc aegre tulisse et dixisse: nisi hoc intermittatis, nos certo in denariis nostris prophatae vestri mentionem modo vobis inviso facturi sumus. Quod cum Abdolmeleco valde acerbum esset, petito a quibusdam consilio, *Jezid f. Chaled, f. Jezid* يزيد بن خالد بن يزيد de monetae percussura, atque abrogandis Graecorum denariis, auctor ei fuit, quod etiam ad effectum Abdolmelecus adduxit; contumeliosis insuper in Christianorum de de Deo doctrinam ex Alcorano depromtis sententiis nummos suos insignens: *Deus est unicus*, ergo non dantur tres in Deo personae; *Deus est aeternus*, ergo mori nequivit, ut Christianorum Deus in cruse; *non genuit*, ergo non genuit filium; *nec generatus est*, ergo Jesus generatus non est Deus; *neque est ipsi similis alius*, ergo nulla in Deo pluralitas; *Deus misit Mohammedem cum religione vera, eamque super omnes religiones evexit*, ergo qui illi refragantur Deoque socios tribuunt, vani sunt et mendaces.

Narrationes de initiis monetae Arabicae, ad Chalifam Abdalmalecum referendis, confirmat Theophanes, scriptor saeculi octavi exeuntis,

Abdalmalecum Justiniano imperatori tributum, quod ipsi opem sibi laturo ad debellandos Maronitas Labini, sposponderat, novis hisce nummis Arabicis solvisse commemorans. Sed de anno cum scriptoribus Arabicis non convenit. Refert nempe Justinianum anno Chr. 681 compositam cum Abimelech *(Abdolmelech)* pacem ex animi dementia violasse; et pergit: καὶ τὸ ςαλὲν χάραγμα παρὰ Ἀβιμέλεχ νεοφανὲς ὄν, καὶ μηδέποτε γεγονὸς ἐ προσεδέξατο, *et nummos figura recenter excogitata, et hactenus omnino non visa ab Abimelech conflatos, et in vectigal missos admittere recusavit.* Abdolmalech autem, ut inceptam narrationem persequitur Theophanes, pacem a Justiniano nusquam solvi precabatur: ἀλλὰ δεχθῆναι τὴν αὐτȣ͂ μονῆταν, ὡς τῶν Ἀράβων μὴ καταδεχομένων τὴν τῶν Ῥωμαίων χαραγὴν ἐν τοῖς ἰδίοις νομίσμασι, τῆς ὁλκῆς τȣ͂ χρυσȣ͂ διδομένης ἐκ τȣ͂ νέου χαράσσειν Ἄραβας, *Arabibus insuper sculptam a Romanis* (Graeco-Romanis) *figuram in consueto nummorum suorum usu vel conflatione non approbantibus, monetam a se cusam admitti rogabat, maxime cum ex nova apud Ara-*

bes signata debitum in vectigal auri pondus Romani acciperent a).

Gregorius Abulfaragjius, auctor Arabs Christianus, qui scripsit circa annum hegjrae DCLXXXIII, aerae Christianae MCCLXXXIV, quo historiam suam terminavit, initia monetae Arabicae ad annum refert a Christo nato sexcentesimum nonagesimum septimum, qui foret annus a fuga septuagesimus octavus *b).*

Sic nummus noster non est tantum antiquissimus cognitorum huc usque nummorum cuficorum; sed ex antiquissimis etiam ejusmodi nummis possibilibus. Duos nummos cu-

a) Theophanis *Chronographia p.* 242. *Venet.* 1729. *f.*

b) Abulfaragj *Chronicon Syr.* ex edit. cl. *Kirschii, p.* 118, quam tamen editionem ipse non vidi, sed quam vero citat cl. Guil. Frid. Hezelius in Diatribe *de monetae Arabicae incunabulis, a Macrizio, Arabe, mente conceptis, p.* 8. Cfr. Jac. G. Ch. Adler, *Prolusio de initiis et progressu rei numariae apud Arabes,* in Musei Cuf. Borgiani Parte II. Hafniae 1792. 4:o.

sos anno hegjrae 92 delineatos dabimus in particula hujus opellae posteriore.

Nummus II.

Cusus est in Wasit, in anno tertio et nonagesimo;

ضُرِبَ بِوَاسِطِ فِي سَنَةِ ثَلَثٍ وَتِسْعِينَ

Reliqua eadem sunt, quae in nummo I. Annus fugae 93 coepit die 19 Octobris a. Chr. 711. Decimus tertius Chalifa et sextus ex filiis Ommiae *Walid f. Abdolmaleci, f. Mervanis, f. Hakemi,* الوليد بن عبد الملك بن مروان بن الحكم quo imperante hic numus cusus est, successit patri suo anno fugae 86, Chr. 705, et mortuus est a. f. 96, Chr. 714. Ejus tempore res Moslemicae gestae sunt prosperrime ingentique auctae incremento.

Urbem Iracae Wasit, ubi cusus est nummus, condidit ad ripam Tigridis, qui et numos ibidem cudi fecit, ipse Hagjagj *(Hedsjadsj)*, mortuus anno f. 94, Chr. 712, vel a. f. 95, Chr. 713, a die 26 Septembris. Nominavit urbem Wasit, hoc est, mediam, utpote situ mediam inter urbes Cufam et Basram. Prae-

fuit Iracae viginti annos, auctore Elmacino, qui de eo praeterea haec habet:

وقيل ان عدة من قتله صبرا ماية الف و
عشرين الفا سوي من قتله في الحروب وفي
محبسه مات خمسون الف رجل وثلثون الف
امراة وقيل انه قتل في الهمة ثمانين الف
رجل وزال ملكه كانه لم يكن فطوبا لمن
عمل خيرا

Dicitur crudeliter occidisse centum et viginti mille homines, exceptis iis, quos in bellis interfecit. Et in carcere ejus exstincta sunt quinquaginta virorum, et triginta mulierum millia. Octoginta autem millia dicitur cum intentione occidisse. Sed transiit dominium ejus, ac si non fuisset; et felix est qui facit bonum.

Simile de Hegjagjio refert Abulfaragjius, qui et hoc de eodem morti jam vicino addit:

قال لمنجم عنده هل تري ملكا يموت قال
نعم اري ملكا يموت اسمه كليب فقال انا
والله كليب بذلك سمتني امي قال المنجم
انت والله تموت كذلك دلت عليه النجوم
قال له الحجاج لاقدمنك امامي فامر به
فضرب عنقه

Rogavit astrologorum quemdam, qui ipsi aderat, Ecquid regem aliquem vita statim excessurum videret? ac dicente eo, ita, video moriturum regem, nomine Colaib; respondit, ego per Deum sum iste Colaib, hoc nomine me appellavit mater mea. Regerente astrologo, te ergo, per Deum, moriturum indicant stellas; te, inquit Hegjagj, mihi praemissurus sum: eumque capite mulctari jussit.

Nummus III.

Cusus est in Wasit; annus (est) *sedecimus et centesimus.*

ضُرِبَ بِوَاسِطَ سَنَةَ سِتَّ عَشَرَةَ وَمِئَةٍ

Annus fugae 116 respondet anno Chr. 734, a die 9 Februarii. In antiquissimis nummis cuficis extat فى سنة *in anno*, فى autem in reliquis abest. Reliquae inscriptiones eaedem sunt quae in numo I.

Decimus septimus Chalifa, et decimus filiorum Ommiae, *Hescham f. Abdolmelici f. Merwanis*, هشام بن عبد الملك بن مروان, qui successit fratri suo *Jezid f. Abdulmelici f. Merwanis, filii Hakemi,*

يزيد بن عبد الملك بن مروان بن الحكم
anno fugae 105, Chr. 723, Irakae praefecit *Chalidem f. Abdallae Karlaeum* خالد بن عبد الله القسري, atque ab eo certe cusus est numus noster. Praefectura Iracae Chalidem Karlaeum a. f. 120, Chr. 737 abdicavit Heschamus, qui ipse obiit a. f. 125 Chr. 742. Fuit autem, teste Makino, *avarus et invidus, indigens subditorum opibus ad absumtionem inutilem;*
انه كان بخيلا حسودا محتاجا الى اموال الناس فضا غليظا

Nummus IV.

Cusus est Waseti, *anno secundo et vigesimo et centesimo* سَنَةَ اِثْنَتَانِ وعشرين ومِئَةٍ, qui coepit anno Chr. 739 die 7 Decembris. Cetera eadem sunt quae in nummo I. Uterque nummus hic et proxime praecedens eodem imperante Chalifa Heschamo cusus est, gubernatore quidem Iracae *Josepho filio Omaris Tsekifaeo,* يوسف بن عمر الثقفي, quem abdicato Chalide Carlaeo Heschamus Iracae praefecit.

De origine urbis Vaset vel Vasit scriptor

Arabs Ibn-Chalican in *Historia virorum illustrium* كتاب وفيات الاعيان haec adfert:

وهو الذي بني مدينة واسط وكان شروعه في ابتنايها في سنة اربع وثمانين للهجرة وفرغ منها في سنة ست وثمانين وانما سماها واسط لانها بين البصرة والكوفة بوسطهما وذكر ابن الجوزي في شذور العقود المرتب علي السنين انه فرغ من بنايتها في سنة ثمان وسبعين وكان قد ابتداء من سنة خمس وسبعين

Ille (Hegjagjus) *aedificavit Vasetum, cujus prima fundamenta jecit anno fagae octogesimo quarto, constructionem absolvit anno ottogesimo sexto. Vaset* h. e. mediam urbem *vocavit, quod media jaceret inter urbes Basram et Cufam. Ibn-Gjuzi tamen in Schedur el-akud* (h. e. margaritis monilis, libro sic inscripto) *urbem aedificari coeptam statuit a. LXXV, absolutam a. LXXVIII.* Cum Ibn-Chalicano contra Ibn-Gjuzium facit Ibn-Schohna, alius Historicus Arabs, asserens

وفي سنة ثلث وثمانين بني الحجاج مدينة واسط

Anno octogesima tertio aedificavit Alhegjagj urbem Vasit. Item Jacuti (vel rectius Bakui) anno

LXXXIV incoeptam fuisse scribit urbis constructionem, finitam duobus annis post. Et sic plurimi probatissimique statuunt auctores Arabici *a)*.

Tabula II.

Nummus V.

Cusus est in Wasit *anno sexto et vigesimo et centesimo* سَنَةَ سِتٍّ وَعِشْرِينَ وَمِئَةٍ, qui coepit die 25 Octobris anno Chr. 743. Cetera eadem sunt quae in nummo I.

Decimus octavus Chalifa et undecimus filiorum Ommiae *Walid filius Jezidi, filii Abdilmalci, f. Merwanis* الوليد بن يزيد بن الملك بن مروان qui patruo suo Heschamo successit, sequenti anno, eodem nimirum, quo cusus est numus noster, interfectus fuit. Etenim *Syriae populus* اهل الشام unanimiter decreverat deponere eum Chalifatu et occidere, propter ne-

a) Adler, *Museum Cuficum Borgianum P. II.* p. 5.

quitiam ejus, et manifestam infidelitatem atque impietatem. Inaugurarunt itaque filium patrui ejus *Jezidum f. Walidis, f. Abdilmalici, f. Merwanis*, يزيد بن الوليد بن عبد الملك بن مروان qui decimus nonus erat Chalifa et duodecimus filiorum Ommiae. Ejus milites in Walidum irruentes gladiis eum percusserunt, amputarunt ei manum et absciderunt caput; quae circumportata fuerunt Damaschi et portae affixa. *Imperavit*, auctore El Macino, *annum unum, menses duos et dies viginti duos*,

وكانت ولايته سنة واحدة وشهرين واثنين وعشرين يوما

Walidi successor Jezidus eodem hoc anno, quo cusus est numus noster Josephum filium Omaris gubernatione Iracae abdicavit, praeficiens ei *Mansorem filium Gjamhoris* منصور بن جمهور atque horum alter nummum cudi fecit.

Interfecto Walide regiones sunt conturbatae, multiplicati Chawarigjii (rebelles apostatae), *et debilitatum regnum filiorum Ommiae, ita ut eos superaverint inimici. Fuitque caedes Walidis una*

e causis cur imperium eorum cessaverit. Ita cuique rei sua est causa;

ولما قتل الوليد اضطربت البلاد وكثرت الخوارج وضعف ملك بني امية وانتصرت عليهم اعداوهم فكان قتلهم الوليد من اسباب زوال ملكهم ولكل شي سبب

Verba sunt Elmacini, quo insuper auctore ob caedem Walidis variae contra Jezidum turbae commmotae sunt; ipse autem, cum imperasset quinque menses et aliquot dies, obiit ex peste. Successit ei vigesimus Chalifa et decimus tertius filiorum Ommiae, *Ibrahimus filius Walidis*, ابرهيم بن الوليد anno sequente 127, Chr. 745, depositus, succedente ei vigesimo primo Chalifa, decimo autem quarto filiorum Ommiae, *Merwane filio Muhammedis, filii Merwanis filii Hakemi, filii Abulasi*, مروان بن محمد بن مروان بن الحكم بن ابي العاص interfectus anno fugae 132. Chr. 749. وهو اخر خلفا بني امية *atque hic ultimus fuit Chalifa e filiis Ommiae* (Umajjae).

Nummus VI.

I. M. بِسْمِ ٱللَّهِ ضُرِبَ هَذَا ٱلدِّرْهَمُ بِٱلْمُحَمَّدِيَّةِ

سَنَةَ ثَمَانٍ وَأَرْبَعِينَ *In nomine Dei cuditur hic dirhem Mohammediae anno octavo et quadragesimo et centesimo* (a. Chr. 765 a die 26 Februarii.).

II. A. مِمَّا أَمَرَ بِهِ أ *Ex mandato A-*

لْمَهْدِي مُحَمَّدُ *l-Mohdi Muhammed*

بْنُ أَمِيرِ ٱلْمُؤمِنِينَ *filius imperatoris fidelium.*

Cetera eadem sunt quae in nummo I.

Familiae Umajjadarum in regno Moslemico orientali successit familia Abbassidica, laude non solum illustris bellica, sed et viris nobili in litteras amore inclytis memorabilis, quum Ommajadae e contra non rudes tantum ipsi plerumque et ignari fuerunt, sed scientiarum etiam osores, lucisque timidi, solo contenti suo sic dicto verbo divino, Alcoranum puta et traditiones Muhammedicas; reliqua non superflua modo reputantes, sed etiam periculosa.

Ortum ducebat familia Abbassidica ab Al-Abbaso, patruo Muhammedis Abalcasimi,

filii Abdallae, imperii et religionis Moslemici conditoris. Post Mohammedem genero illius 'Ali, qui patris quoque Mohammedis ex fratre nepos erat, successio in imperium pertinebat; sed artibus *Ajeschae* عايشة, uxoris Mohammedis factum est, ut Abu Bekr, ipsius Ajeschae pater, successor renuntiatus sit, titulumque *Chalifae* خليفة *successoris* seu *vicarii* assumsit. Abubekro successit Omar, huic Otsman, et Otsmano tandem Ali, cujus tamen regnum breve fuit et maxime turbulentum. Successit illi quidem filius ejus Hassan, sed Chalifatum ipse tradidit Moawiae filio Ommiae, Umajjae: Moawiae successit ejus filius Jezid; huicque suus filius Moawia II: huic autem Abdalla filius Zobeiri, qui non e filiis fuit Ommiae: sed Abdallae successit e filiis Ommiae Merwan: huic filius ejus Abdolmelec: huic filius suus Walid: huic frater suus Suliman: huic patrui sui filio successit Omar: huic filio patrui sui Jezid II: huic frater suus Hescham: huic patruo suo successit Walid II: huic filius suus Jezid III: huic frater ejus Ibrahim: huicque Merwan II, filius Mohammedis et nepos ex filio Chalifae Merwanis I.

Interim non defuerunt, qui posterorum Alis jura propugnarunt, et hos inter celebris in primis erat in Chorasana dux exercitus Abu Moslem, qui Omajjadarum quidem dynastiam destruebat; sed summa rerum potestas, eo invito, tradita fuit non Alidis, sed consanguineis eorum Abbasidis.

Primus e familia Abbasidica ad imperium Moslemicum capessendum invitatus, fuit Mohammed filius Alis, qui ab incolis quibusdam Chorasanae, in qua provincia habitavit, precibus et pecunia, teste Macino, de Chalifatu occupando admonebatur sed recusavit; et qui tum eligebatur filius ejus Ibrahimus a regnante e filiis Omniae Chalifa ultimo Merwano II. prehensus est et necatus.

Deinde electus est Ibrahimi frater *Abul Abbas Al Saffah*, أبو العباس السفاح et inauguratus anno fugae 132. Chr. 749, fuitque Chalifa vigesimus secundus, et primus filiorum Abbasi. Sequenti anno victus est et morti traditus Merwanus II; reliquuis autem Umajjadis partim interfectis partim pulsis stabilitum

est imperium Saffahi Abbasidarumque. Unus Omajjadarum Abdulrahman *(Abd-or-Rahman)* nomine, in Hispaniam elapsus, dynastiam Omajjadicam et novum chalifatum ibi constituit.

Vigesimus tertius Chalifa et secundus Abbasidarum *Al Manzur filius Muhammedis, filii Alis, f. Abdallae, filii Abbasi* المنصور بن محمد بن علي بن عبد الله بن العباس successit fratri suo Abul Abbas AlSaffah anno fugae 137, Chr. 754, et imperavit ad annum f. 158, Chr. 774, eoque imperante numus noster cusus est in urbe Mohammediah, quae Bagdadi pars erat ad Tigrim sita. Omniadarum sedes fuerat Damascus in Syria; sed Almanzur novam in provincia Irak ad utramque Tigridis ripam urbem condidit, Bagdad vulgo dictam, sed quam ipse conditor *Medinet essalam* مدينة السلام, id est, *civitatem pacis* vel *salutis*, appellavit; et haec Abbasidarum facta est urbs princeps, ubi multi quoque horum Chalifarum numni procusi sunt.

Teste Abulfeda habitatio Manzuri fuit in parte urbis ad ripam Tigridis Occidentalem; la-

tus autem orientale dictum fuit *asker al Mohdi* عسكر المهدي *castra Almohdii*, cum primus, qui id incoluit cum ducibus copiisque suis, Mansuri filius fuerit Mohammed Almohdi, qui numum nostrum cudi fecit. Aedificationem urbis Bagdadi ad annum fugae 145, qui coepit die 1 Aprilis a. Chr. 762, Elmacinus refert:

وفي سنة خمس واربعين وماية شرع المنصور
في بناء مدينة بغداد واسها في وقت اتفق
المنجمون علي اجتياره وقيل انها كانت مرجة
خضري فيها صومعة راهب اسمه بغداد وسميت
باسم الراهب وسماها المنصور مدينة السلام
ولما تم بناوها صارت مستقر الخلفا العباسيين

Anno quinto et quadragesimo et centesimo jussit Almansor aedificari civitatem Bagdadum: eamque fundavit eo tempore, quod unanimi consensu elegerant astrologi. Dicitur autem fuisse pratum viride, in quo tugurium erat eremitae, cui nomen erat Bagdadi; atque ab eo hoc nominis traxisse. Almansor autem eam appellavit civitatem pacis. Utque absoluta fuit aedificatio ejus, facta est sedes Chalifis Abbasidarum.

Anno fugae 147, qui coepit die 9 Martii

a. Chr. 764, filium suum Muhammed AlMohdi *socium foederis sui*, ولي عهده assumsit, seu heredem et successorem suum designavit Almansor, ad quam dignitatem jam antea evectus fuerat Almansoris ex fratre nepos *Isa filius Musae* عيسى بن موسى, quem iterum quoque, deposito filio, foederis socium fecit, *idque post rixas, quas longum foret enarrare*,

وذلك بعد مفاوضات يطول شرحها

ut de hoc negotio verba facit Elmacinus. Sequenti anno ab ipso Almohdio cusus est numus noster, cujus inscriptio in area postica vel ita reddi potest, ut sensus sit, Almodium jussu patris sui numum cudi fecisse; vel etiam reddi potest hoc sensu: "hic nummus ex illis est, quos cudi jussit Mohammed AlMohdi, filius imperatoris fidelium."

Titulus *imperator fidelium* primum tributus est tertio Moslemorum Chalifae Omaro, qui, ut inquit Elmacinus, *primus vocatus est imperator fidelium;* اول من دعي باميرالمومنين et de quo titulo Said ibn Batric ita commentatur:

والمغيرة هو اول من سما عمر ابن الخطاب اميرالمومنين. لان الناس كانوا بعد موت

محمد يسموا ابابكر خليفة رسول الله وانا
كتبوا اليه عماله كتبوا الي خليفة رسول الله
من فلان فلما ولي عمر ابن الخطاب كانوا
يسمونه خليفة خليفة رسول الله من فلان فلما
ولي عمر ابن الخطاب المغيرة ابن شعبة علي
البصرة كتب اليه لعبد الله عمر ابن الخطاب
امير المومنين فانكر ذلك عمر ابن الخطاب
ولم يعرفه ثم انه قال انا عبد الله وانا عمر
ابن الخطاب وانا امير المومنين قد صدق
المغيرة ابن شعبة فسمي عمر ابن الخطاب
امير المومنين فبعد ذلك الوقت سميوا الخلفا
امير المومنين

"Almoghirah (dux belli Chalifae Omari I.) primus fuit, qui Omarum ibni-l-Chetabi *Emiro-l-mumenin* (imperatorem fidelium) appellavit. Homines siquidem mortuo Muhammede Abu Becrum (Mohammedis successorem) *Chalifam*, seu vicarium Nuntii Dei vocitabant. Cumque ad ipsum scriberent ipsius praefecti, scribere solebant, Vicario Nuntii Dei, a. N. &c. Cum ergo imperium obtinuisset Omar filius Chetabi

ipsum vicarium vicarii Nuntii Dei insignive-runt: et cum ad ipsum litteras darent scribebant praefecti ipsius, Vicario vicarii Nuntii Dei a N. &c. At cum AlMogiram filium Schaabae Basrae praefecisset, ita ille ipsi scripsit: Servo Dei, Omaro filio Chetabi, fidelium imperatori; quod aegre (primo) tulit Omar filius Chetabi, neque agnovit: Dein dixit, ego sum servus Dei, ego Omar ibno-l-Chetab, ego fidelium imperator, verum dixit AlMoghirah ibn Schaabae. Appellatus est ergo Omar ibno-l-Chetabi *Amiro-l-Mumenin*, seu imperator fidelium: atque ex eo tempore insigniti sunt Chalifae titulo *Amiro-l-Mumenin a)*.

Nummus VII.

I. M. بِسْمِ ٱللَّهِ ضُرِبَ هٰذَا الدِّرْهَمُ بِأَرَّان سَنَةَ ثَلٰثَ وَخَمْسِينَ وَمِئَةٍ *In nomine Dei cuditur hic derhem in Arrania, anno tertio et quinquagesimo et centesimo.* Supra scripturam marginalem est nomen بكير *Bekir*; fuit is autem gubernator

a) Said ibn Batrik, *Contextio gemmarum T. II.* p. 295.

Armeniae in provinciam a Chalifa Almohdi redactae.

II. A. مما أمر به *ex mandato*

المهدي محمد *Almohdi Mohammed*

بن أمير المؤمنين *filii imperatoris fidelium.*

Reliqua eadem sunt quae in nummo I.

Ex Ibn Haukal, qui geographiam orientalem saeculo aere Christianae decimo Arabice conscripsit, constat *Arran* ارّان regionem fuisse ad occidentale latus maris Caspici, conterminam regioni Taberistan seu veteri Hyrcaniae; ea nempe Armeniae pars, quae sita est inter fluvios *Kur* كر et آرس sive Cyrum et Araxem, speciatim dicta fuit Arran. Urbs arraniae princeps et sedes gubernatoris erit Berdaa بردع; atque in ea urbe a gubernatore hujus provinciae, jussu Principis AlMohdi, regnante Chalifa Almansor, nummus noster cusus est, aerae Christianae 770, a die 3 Januarii ad diem 23 Decembris respondente anno fugae 153.

Patri suo Abugjafaro Almansori, anno a fuga 158, qui coepit die 20 Novembris a. Chr. 774, successit vigesimus quartus Chalifa et tertius Abbasidarum *Muhammed Almohdi* المهدي محمد, mortuus anno a fuga 169, Chr. 785. Duos ejus nomine insignitos nummos, vivo adhuc patre, procusos explicuimus. Inter nummos quos, postquam chalifatum adierat, ipse procudit, meus est, cusus in urbe pacis a. f. 162, Chr. 779, cujus in area postica inscriptio haec est:

محمد رسول	*Mohammed* est *legatus*
الله صلي الله	*Dei, propitius sit Deus*
عليه وسلم	*ei et benedicat,*
الخليفة المهدي	*Chalifah* est *Almohdi.*

Alium possideo cusum eodem anno *in urbe Heij* vel *Gjaij (Dsjai)* بمدينة حي admodum similem, praeterquam quod in area postica sub *AlChalifah AlMohdi* exstat nomen *Jahja* يحيي ut legi solet حيّ Gjaij (Dschai) est nomen, quo indicatur antiqua urbs Ispahanae; حَيّ *Heij* est urbs Chusistanae *a)*.

Alium possideo numum fere similem, cusum in urbe salutis, a. f. 166; sed in quo loco nominis vulgo Jahja lecti est sigla בּ. Reliqua consueta sunt.

Votum pro Mohammede Almohdi nummis suis primus inscripsit; et admonentur quidem in Alcorano fideles ad Dei et angelorum exemplum vota ejusmodi facere:

إِنَّ اللّٰهَ وَالْمَلَائِكَتَهُ يُصَلُّونَ علي النَّبِيِّ يَا أَيُّهَا
الَّذِينَ آمَنُوا صَلُّوا عَلَيْهِ وَسَلِّمُوا تَسْلِيمًا

Certe Deus et angeli ejus orant super prophetam. O, qui crediderunt, orate etiam vos *super eum, et salutate* eum *salutem apprecando b).*

Chalifa vigesimus quintus, et quartus Abbasidarum *Musa Alhadi* الهادي موسي successit patri suo Almohdi, obiitque a. f. 170, Chr. 786. Ejus nummum cusum Mohammediae a.

a) C. M. Fraehn, *Novae symbolae ad rem numar. Muhammedanor. p.* 47. *Hal. Sax.* 1819. 4:o.

b) Sura 33: 53.

f. 170 exitat b. Ol. Gerh. Tychsen *a)*, hac in area postica inscriptione insignem:

الخليفة الهادي	*Chalifah Alhâdi*,
مما امر به هرو	*cujus mandato* s. Auctoritate *Harun* est
ن ابن عهد المسلمين ط	*filius foederis Muhammedanorum* i. e. chalifatus haeres.

Sic nimirum vir laudatus inscriptionem reddit, deque eadem ita disserit: "Musam Alhadium quidem ea mente fuisse, ut *Harunum* fratrem, quem pater Almohdi a. 166 successorem ejus daclaraverat, hac successione priuaret, quo jus succedendi in filium suum Giafar transferret; sed suasu Jahiae voluntatem eum permutasse Elmacinus p. 110 refert. Ne vero ab hac mente, ut periculum erat, desisteret, ad numum in gratiam successoris cudendum, Jahia eum commouisse videtur."

Sed reddi etiam ita potest: *Chalifah est Alhadi. De eo quod praecepit per se Harun filius foederis orthodoxorum*, id est, hic nummus cusus est jussu Harunis chalifatus heredis.

a) *Addit. I. p.* 17.

Quemadmodum in inscriptione Arabica pallii imperialis Norimbergae adservati مما عمل بالخزانة الملكية *de eo quod confectum est pro gazophylacio regio*, sensus est: hoc ipsum confectum est pro gazophylacio regio.

Imperavit Musa Alhadi unum solummodo annum, menses duos et aliquot dies, eademque, qua obiit, nocte in filium ejus Gjafarum irruens *Chozaimah filius Hazemi* خزيمة بن حازم ipsi e lecto detracto dixit, teste Abulfaragjio: abdica te imperio, sin minus collum tibi praecisurus sum; cumque annuisset Gjafarus testes rei adhibuit Chozaima, eoque magnam apud Harunem gratiam iniit. Eadem nocte creatus est Chalifah frater Alhadis *Harun AlRaschid* (erraschid) هرون الرشيد, Chalifah vigesimus sextus, et quintus Abbasidarum regnavitque ab anno fugae 170, Chr. 786, ad ann. f. 193, Chr. 808. A medii aevi scriptoribus Christianis vocatur *Aron Amiras*, posteriore nomine ab Arabico *amir almumenin* امير المومنين *princeps vel imperator fidelium*, depravato.

Primae quae habentur Alraschidi drach-

mae cusae sunt anno f. 171, Chr. 787, *Abbasiae* العباسية urbe juxta Bagdadum trans Tigrim posita. In his autem nummis, quales ab Assemanio in Museo cufico Naniano descripti sunt, nihil aliud exstat nisi consuetum fidei symbolum et inscriptio Alcoranica e Sura IX: 33 desumta. Sed in alio cuso a. f. 174, Chr. 790 votum pro Mohammede occurrit *a)*; atque in Kehrii nummo XIII, cuso in urbe Zaura a. f. 180, Chr. 796, tum votum pro Mohammede, tum nomina Raschidi et Gjafaris exstant:

محمد رسول الله	*Mohammed* est *legatus Dei*,
صلي الله عليه وسلم	cui Deus bene velit faveatque!
الخليفة الرشيد	Chalifa Raschid
جعفر	Gjafar.

Jam vero antequam res Harunis Alraschídi, praesertim narrationem de nummis eo imperante cusis, ulterius persequamur, explicandus est noster in Tabula II.

a) Ol. Gerh. Tychsen, *Introd. p.* 30 *et* 159. *Addit. p.* 17.

Nummus VIII.

I. M. بِسْمِ ٱللَّهِ ضُرِبَ هَذَا ٱلدِّرْهَمُ بِٱلْأَنْدَلُسِ سَنَةَ ٱثْنَيْنِ وَسِتِّينَ وَمِيَةٍ *In nomine Dei cuditur hic dirhem in Andalusia, anno secundo et sexagesimo et centesimo.* Coepit die 27 Septembris a. Chr. 778.

Cetera eadem sunt quae in nummo I.

Crudelissime caesis et exstirpatis, imperante primo Abbasidarum Chalifa Alsaffah, filiis Ommiae, unus eorum, Abdorrahman, ansam effugiendi nactus, post varia vitae pericula in Hispaniam tandem pervenit, ibique novum Ommiadarum constituit chalifatum. Refert Elmacinus ad annum fugae 139, qui coepit die 4 Junii a Chr. 756:

قال وفي سنة تسع وثلاثين ومايه دخل معوية بن هشام بن عبد الملك بن مروان الاندلس فبايعه اهلها بالخلافه وعمره ثمان وعشرون سنه وهو اول من ولي الامر منهم بتلك البلاد

Anno nono et trigesimo et centesimo effugiens (Abd-orrahmam filius) *Moaviae, filii Heschami, filii Abdolmelici, filii Merwanis, pervenit in Andalusiam, cujus incolae Chalifam eum suum agnoverunt; eratque eo tempore annos natus viginti octo. Atque hic illorum primus est, qui in illa regione imperio praefectus fuit.*

Regnavit ad aunum f. 172, Chr. 788, sedemque fixit in urbe Corduba, quam novo firmavit munimine; atque iu ea urbe nummus noster cusus est, drachmis Ommijadarum Chalifarum orientalium omnino similis.

Tabula III.

Nummus IX.

I. M. بِسْمِ ٱللّٰهِ ضُرِبَ هَذَا الدِّرْهَمُ بِالْمُحَمَّدِيَّةِ سَنَةَ ثَلَثٍ وَثَمَنِينَ وَمِيَةٍ *In nomine Dei cuditur hic dirhem Mohammediae anno tertio et octogesi-*

mo et centesimo. Coepit die 11 vel 12 Februarii a. Chr. 799.

II. A.	مُحَمَّدٌ رَسُولُ ٱللّٰهِ	*Mohammed est legatus Dei,*
	مِمَّا أَمَرَ بِهِ ٱلْأَمِيرُ ٱلْأَمِينُ	*ex auctoritate est Princeps Al-Amin*
	مُحَمَّدُ بْنُ أَمِيرِ ٱلْمُؤْمِنِينَ	*Mohammed filius Principis fidelium.*
	جَعْفَرُ	*Gjafar.*

Reliqua eadem sunt quae in nummo I.

Ad annum fugae 175, Chr. 791, refert Elmacinus Raschidum effecisse, ut filius suus Muhammed, tum quinque annos natus, futurus ei successor crearetur; sed quod Abulfaragjius refert ad annum f. 172, Chr. 788. Cognomen filio isti dedit *AlAmin* الأمين; atque in nummo cuso Abbasiae a. f. 176, Chr. 792, id nominis jam occurrit, quod Assemanus, qui in Museo Cufico Naniano numum descripsit, pro nomine habet recens electi Chalifae successoris. Votum pro Mohammede in eo nummo

abest; adest vero in alio cuso eodem anno et loco.

In nostro nummo nomen designati Chalifae successoris Mohammed Alamin certo certius occurrit. Etiam in alio antiquiore, Mohammediae a. f. 180, Chr. 796, cuso, quem in novis Actis Societatis scientiarum Upsaliensis delineatum dedit Carolus Aurivillius, cujusque in antica et postica area conjungendae inscriptiones ita habent:

لا اله الا
الله وحده
لا شريك له
و
محمد رسول الله
مما امر به الامير الامين
محمد بن امير المومنين

Ρησις autem illa مِمَّا أَمَرَ بِهِ *mimma amara bihi*, quae ad verbum est, *ex eo quod praecepit de isto hoc*, vel etiam, *ex eo quod praecepit per se*, h. e. quod ipse praecepit, modo ita redditur, ut respiciat auctoritatem ipsius Mohammedis Mos-

limorum prophetae, modo ut indicet mandatum regnantis Chalifae. Sic allatae inscriptiones reddi possent: "non est Deus, praeter Deum illum unicum, socii expertem; et Mohammed est legatus Dei, cujus auctoritate Mohammed Alamin, filius imperatoris fidelium, est Emir sive Princeps." Quae vero interpretatio haud bene procederet.

Vulgo redduntur ejusmodi inscriptiones hoc sensu: *ex decreto ipsius Chalifae Mohammed Alamin, filius imperatoris fidelium, declaratus est Emir.* Si vero dictio illa مما امر به *de eo quod praecepit*, idem sit atque *hoc praecepit*, ut jamjam monebamus ad nummum Chalifae Alhadii; nempe *hunc* (numum) *praecepit* (cudi); et si dictio illa referenda sit ad mandatum ejusdem illius principis, cujus in nummo nomen extat, sensus inscriptionum erit: *non est Deus praeter Deum illum unicum, socii expertem, et legatus Dei. Hunc* (nummum cudi) *jussit Emir Mohammed Al-amin, filius imperatioris fidelium a).*

a) Cfr. Ill. C. M. Fraehnii *de academiae imperialis scientiarum Petropolitanae museo numario Muslemico prolusio. Petropoli MDCCCXVIII*, p. 17.

que multiplicavit voluptatis. Ast alia vice eodem narrante Fachr-Edino Razio, non sine indignatione fatus est:

آستبدّ يحيى بالأمور دوني فآلخلافة على
آلحقيقة له وليس لي منها إلّا آسمها

Dominium sibi soli vindicavit Jahja in negotiis publicis, et chalifatus ad eum revera pertinet, nec mihi nisi nudum nomen ejus relictum est.

Jahjae in negotiis publicis administrandis socii ejusque consiliorum participes ambo erant filii sui Fadhl et Gjafar (*Dsjafar*), aeque ac pater omni laudum cumulo conspicui. De Fadhlo testatur Fachr-Eddin Razi:

كان آلفضل من كرام آلدنيا وأجواد أهل عصره

Fuit AlFadhl ex generosissimis in mundo, et liberalissimis sui saeculi hominibus.

De Gjafaro testatur idem:

كان جعفر بن يحيى فصيحا لبيبا ذكيّا فطنا
كريما حليما وكان آلرشيد يأنس به أكثر من

أُنْسِهِ بِأَخِيهِ ٱلْفَضْلِ لِسُهُولَةِ أَخْلَاقِ جَعْفَرٍ وَشَرَاسَةِ أَخْلَاقِ ٱلْفَضْلِ

Fuit Gjafar filius Jahjae disertus, prudens, perspicax, intelligens, generosus, mansuetus. Et conversabatur Raschidus cum ipso frequentius quam cum fratre ejus Alfadhlo, propter faciliorem ingenii indolem Gjafari, et duriorem indolem Fadhli. Pergit Fachr-Eddin Razi:

قَالَ ٱلرَّشِيدُ يَوْمًا لِيَحْيَى يَا أَبِي مَا بَالُ ٱلنَّاسِ يُسَمُّونَ ٱلْفَضْلَ ٱلْوَزِيرَ ٱلصَّغِيرَ وَلَا يُسَمُّونَ جَعْفَرًا بِذَلِكَ فَقَالَ يَحْيَى لِأَنَّ ٱلْفَضْلَ يَخْلُفُنِي قَالَ فَضُمَّ إِلَى جَعْفَرٍ أَعْمَالًا كَأَعْمَالِ ٱلْفَضْلِ فَقَالَ يَحْيَى إِنَّ خِدْمَتَكَ وَمُلَازَمَتَكَ يَشْغَلَانِهِ عَنْ ذَلِكَ فَجَعَلَ إِلَيْهِ أَمْرَ دَارِ ٱلرَّشِيدِ وَسُمِّيَ بِٱلْوَزِيرِ ٱلصَّغِيرِ أَيْضًا

Dixit Jahjae die quodam Raschidus: o pater mi, quare evenit, ut homines Fadhlum appellent parvum Vezirium, et non similiter appellent Gjafarum? id ideo fit, respondebat Jahja, quia Fadhlo utor ut Vicario meo. Dixit Raschid: committe ergo Gjafaro negotia quaedam, quemadmodum commisisti Fadhlo. Respondit autem Jahja: certe ministeria tibi praestanda, et propior, qua tibi jungitur societas, a rebus gerendis eum abstrahunt; interim detulit illi praefecturam palatii Raschidis, atque eum etiam deinde parvum Vezirium appellarunt.

Jahjae ejusque filiorum ingentes opes, immensa potentia et eminentis fortunae invidia crudele tandem et dirum ipsis attulit exitium. Gjafar jussu Raschidis decollatus fuit anno H. 187, Chr. 803, Jahja et Fadhl incarcerati sunt; *transiit*, inquit Elmacinus, *gloria eorum, et bona direpta sunt, ac si non fuissent*,

زالت دولتهم ونهبة اموالهم كانهم لم يكونوا

Jahja in carcere obiit, et dicitur, auctore Elmacino, moriens epistolam ad Raschidum scripsisse his verbis:

قد تقدم المدعي والخصم في الاثر والحاكم
لا يحتاج الي بينه

Praecessit vocatus in jus, et adversarius sequitur; judex autem non indigebit teste. Quae verba Raschid flens legit.

In locum Jahjae filiorumque ejus successit Fadhl filius Rebii, quem Fachr-Eddin Razi verbis ita depingit:

فَلَمَّا نَكَبَ ٱلرَّشِيدُ ٱلْبَرَامِكَةَ ٱسْتَوْزَرَ بَعْدَهُمْ
كَانَ ٱلْفَضْلُ بْنُ ٱلرَّبِيعِ شَهْمًا خَبِيرًا بِأَحْوَالِ
ٱلْمُلُوكِ وَآدَابِهِمْ وَلَمَّا وَلِيَ ٱلْوِزَارَةَ تَهَوَّسَ بِٱلْأَدَبِ
وَجَمَعَ إِلَيْهِ أَهْلَ ٱلْعِلْمِ فَحَصَّلَ مِنْهُ مَا أَرَادَ فِي
مُدَّةٍ يَسِيرَةٍ

Cum Barmekidas amovisset Raschidus Vezirium constituit Fadhlum filium Rebii, virum industrium atque in negotiis regum eorumque moribus expertum; qui Vezir constitutus studiosissime scientiis operam dedit, viros doctos ad se congregans, unde, quae desiderabat, brevi acquisivit.

Hic ipse Gjafar *(Dsjafar)* est, cujus in nummo nostro nomen comparet. Alius ab eo-

dem etiam Mohammediae anno a fuga 184, Chr. 800, cusus nummus, quem in meis annumero, habet in area secundae partis:

س	
محمد رسول	*Mohammed legatus*
الله صلي الله عليه وسلم	*Dei, propitius sit Deus ei et benedicat!*
مما امر به الامير الامين	*Ex mandato Emir Alamin,*
محمد بن امير المومنين	*Mohammed filius imperatoris fidelium.*
جعفر	*Gjafar.*

Sensus vel est: "ex decreto (*Chalifae Raschidi*) Mohammed Alamin, filius imperatoris fidelium, declaratus est Emir sive Princeps, Gjafar" *(nummum cudit)*. Vel etiam: "jussu Principis Mohammedis Alamini, filii imperatoris fidelium, *(nummum cudit)* Gjafar."

Sigla س si ش legeris, significabit forte mensem schaban, quo nummus habeatur cusus *a*).

Nummum Bassrae cusum a. f. 186, Chr.

a) Fraehnius, *l. c. p.* 15.

802, excitat Ol. Gerh. Tychsen *a)*, cum hac in area postica inscriptione, hujusque addita interpretatione:

و	et
محمد رسول	*Mohammed legatus*
الله صلي الله عليه وسلم	*Dei, cui Deus propitius sit et benedicat!*
مما امر به الامير الامين	*iussu* (Chalifae est) *Emir Alamin*
محمد بن امير المومنين	*Mohammed filius imperatoris fidelium.*
جعفر	*Gjafar.*

Ad ipsum hunc annum fugae 186 refert Elmacinus Raschidum peregrinatum esse cum filiis suis et magnam pecuniae vim consumsisse; distribuisse quoque imperium tribus filiis suis Muhammedi Alamino, Abdallae Almamuno et Casimo Almutameno Alaminum futurum sibi successorem constituit, huic succederet Almamun, eique Almutamen. Pergit Elmacinus:

a) *Additam. I. p.* 18.

ثم كتب الرشيد لابنيه الامين والمامون لكل
منهم كتابا اخذ فيه العهد علي كل واحد
منهما العهود المواثيق والشروط لاخر مدة
حياته وشهد بذلك الاكابر وعلق الكتابين في
الكعبة واخذ خطهما انهما التزما بما في
الكتاب جميعه .

Deinde scripsit Raschidus filius suis Alamino et Almamuno singulis libellum, quo utrique successionem confirmavit per pacta, foedera et conditiones; in extremum tempus vitae ejus; atque ea de re testatus est primores populi, et suspendit libellos illos in Caaba, sumtis ab illis chirographis, quibus promittebant, se quidquid in toto libello scriptum esset observaturos.

Num pro *Almutamen* المومن legi debeat nomen filii Raschidi *Almutasem* المعتصم, mihi quidem non constat. Interim ultimum Raschidi decretum ambos tantum respexisse filios ejus Alaminum et Almamunum, tertio a successione secluso, effatum Elmacini innuit. Decreti hujus de filiorum Raschidi jure successionis non apud scriptores tantum mentio habetur, sed etiam in numis.

Anno a fuga 188, qui coepit die 19 Decembris anno aerae vulgaris 805, Raschidus bellum intulit Graecorum imperatori Necephoro, et ad necessarios in rem militarem sumtus impendendos nummi cusi sunt variis locis. Exstat in numophylacio regis Sveciae nummus hoc anno cusus in Medinet-essalam, in quo praeter solitas sententias alcoranicas nihil occurrit, nisi fidei symbolum de Deo unico socio experte, et Muhammede Dei legato; atque in ima parte areae posticae sigla ة. Ejusdem generis est primus Kehrii nummus in libello de monarchiae Asiatico-Saracenicae statu, cusus eodem anno locoque. Alius similis est inter regios Suecicos, cusus eodem anno, sed *Mohammediae.* Inter meos numus est cusus hoc anno *in urbe Balh* بمدينة بلخ, jussu Almamuni, in quo decretum memoratur de ipsius jure succedendi Alamino; inscriptiones nempe in utriusque partis areis, continuata serie legendae, istae sunt:

لا اله الا
الله وحده
لا شريك له
و

محمد رسول الله
مما امر به الامير المامون
عبد الله بن امير المومنين ولي
ولي عهد المسلمين
يحيي

Id est: *non est Deus praeter Deum illum unicum, cui non est socius; et Mohammed est legatus Dei. Ex decreto* (Chalifae) *est Abdalla Almamun, filius imperatoris fidelium. declaratus successor successoris foederis* (sive regni) *orthodoxorum.* Vel etiam sensus erit: *non est Deus, praeter Deum illum unicum, cui non est socius; et Mohammed est legatus Dei. Jubente Abdalla Almamuno, filio imperatoris fidelium, successore successoris in foedere orthodoxorum,* sive in regno Islamitico, (numum cudit) *Jahja.*

Nummus quintus apud Kehrium in libro citato omnino similis est, cusus eodem anno locoque; etiam numus Kehrii sextus, cusus anno sequente.

Alium cusum a. f. 188, Samarcandae; memorat Ol. G. Tychsen *a*), et explicat hoc

a) *Introd. p.* 70.

لله وبه	Deo, et per eum (*est*)
محمد رسول الله	Muhammed legatus Dei.
مما أمر به الامام	Jussu (Chalifae) Imam
المامون امير المومنين	Almamun, princeps fidelium.
الفضل	Al-Fadl (*eius Vezirius*)

Annotatio ista subjungitur: "in numo Almamuni Samarcandae a. 188, Chr. 803 conflato, *primo vice* titulus امام *antistes* (sacrorum), quem soli Chalifae tunc gerebant, occurrit. Causam cur sibi ipse hunc titulum, solis Chalifis proprium, vivente adhuc legitimo Chalifa, adscripserat, Elmacinus p. 115, commemorat. Rebellis enim tunc erat, qui sibi omnia dat."

Verum loco citato Elmacinus narrat, Raschidum successorem sibi constituisse Alaminum, eique Almamunum; nec de rebellione aliqua Almamuni, aut filiorum Raschidi dissidiis, patre adhuc vivo, ulla mentio injicitur, ut itaque causa assumti tituli Imam non hinc arcessi possit. Sed quum Raschidus Chorasanae et confiniis praefecisset Almamunum, ille-

que ibi summa sine dubio potestate regnaret, titulum illum sine alicujus offensa sumi posse forte sibi persuasit; nec certe pater offensus est: nam Raschidus, renovato ante mortem suam, quae in Chorasana accidebat, Almamuni jure successionis, jusserat ut opes, arma et milites, qui secum erant, relinquerentur Almamuno, adeo ut huic cum patre suo ne minima quidem simultas intercessisse videatur.

Nummum possideo cusum anno a fuga 189, qui coepit die 7 Decembris anno aerae vulgaris 804; sed locus monetae illaesus non est. Inscriptio in area postica, reliqua consueta sunt, haec est:

علي	Ali
محمد رسول الله	Mohammed legatus Dei,
صلي الله عليه وسلم	propitius sit Deus ei et benedicat!
مما امر به الامير المامون	Ex mandato Emir Almamun.
ابرهيم	Ibrahim.

Sensus mihi esse videtur: "nummum jussu Emiri Almamuni cuderunt Ali et Ibrahim."

Ali filius Sahali علي بن سهل conclavis Almamuni praefectus; *Ali filius Isae* علي بن عيسي gubernator Chorasanae; alter horum, et praecipue Ali filius Isae, ille certe est, cujus in hoc nummo nomen comparet. Ibrahim fors erit *Ibrahim filius Mohdi*, alii scribunt Mahdi, Mahadi, Mehdi, ابرهيم بن المهدي patruelis Almamuni.

Alamini nummum, cusum eodem hoc anno 189, in parte posteriore Tab. III. n. I. aere expressum, addita ejusdem enodatione, exhibebimus.

Nummus X.

I. M. - - - مدينة الشاش سنة تسعين ومية (Cusus est in) *urbe Alschasch, anno nonagesimo et centesimo*. Coepit die 26 vel 27 Novembris anno Chr. 805. In area I. supersunt litterae nonnullae de solita fidei confessione; in area II. superesse videntur litterae quaedam de voto: صلي الله علية وسلم. Cetera sunt detrita.

Al Schasch, nomen regionis et urbis fuit in *Mawaralnahar* (mawer - en - nahr) ماورآء النهر

sive Transoxana, hodie Tartaria Usbec; regio apud Abulfedam totius Mawaralnahrae vocatur amoenissima, et urbs *splendida, magnifica,* جليلة; in hac urbe multi cusi sunt nummi cufici.

Alius nummus, qui meus est, cusus eodem hoc anno, Almamuni memorat jus succedendi fratri suo Alamino; delineatum eum dabo et explicatum in opusculi hujus particula posteriore, Tab. III. n. 2.

Nummus hoc anno cusus in Medinet essalam sive Bagdad, qui secundus est apud Kehrium, nihil praeter fidei symbolum continet et solitam ad marginem partis posterioris inscriptionem e Sura IX: 33 desumtam; infra in area postica exstat littera ء. Plane similem eodem anno locoque cusum ipse possideo.

In regio numophylacio Suecico servatur numus hoc anno cusus, hac in area postica inscriptione insignitus:

علي	Ali
محمد رسول الله	Mohammed legatus Dei,

مما امر به الامير المامون — Ex mandato Emir Almamun

عبد الله بن امير المومنين — Abdallah filius imperatoris fidelium

الفضل — Alfadhl.

Sensus vel est: "ex mandato (Chalifae) est Abdallah Almamun filius imperatoris fidelium (declaratus) Emir;" vel etiam: "mandante Principe Abdallah Almamuno, filio imperatoris fidelium, *(nummum cuderunt)* Ali et Alfadhl.

Alfadhl filius Sahali الفضل بن سهل fuit Vezirius Almamuni, et Ali Alfadhli frater cubiculi ejus praefectus, atque hi ambo, vel potius Vezirius Alfadhl et Gubernator Chorasanae Ali filius Isae, suis forte impensis hos tales numos cudi fecerunt.

Locus monetae معكر الشاش legi solet معسكر الشاش et reddi castra Alschaschae; sed in nostris nummis ita legi haud potest, quum inter secundam et tertiam vocis معسكر litteram, inter ع nempe et ك ne minimo apici locus tribui queat. *Maier* معسكر nomen castri fuit

in Yemen, auctore Giggeio; et alius ejusdem nominis locus sine dubio fuit in regione Alschach, de qua in descriptione Mawaralnahrae refert Abulfeda:

والشاش مدن كثيرة تزيد علي خمس وعشرين مدينة واسماوها اعجمية فلم نتحققها ولذلك تركنا ذكرها

Alschasch multas continet civitates, v. d. supra viginti quinque, quarum nomina barbara, nobisque incognita; ideo earum descriptionem omisimus.

Illustris Fraehnius legi vult non معكر sed معدن h. e. locus, sedes.

Alim filium Isae, qui ille forte Ali est, cujus in nummis Almamuni nomen comparet, tyrannide et impressionibus infamem, Raschidus gubernatione Chorasanae removit, anno a fuga 191, Chr. 806, a die 16 Novembris, praeficiens eidem gubernationi *Hartremam filium Ajani* هرثمة بن اعين, qui Alim prehendit vinctumque ad Raschidum misit. Nummus hoc anno cusus in urbe salutis in nummophylacio adest Suecico, solito modulo minor, sed crassior, inscriptus tantum symbolo fidei: non est

Deus, nisi Deus unicus, cui non est socius; Mohammed est legatus Dei;" et infra sigla ه, atque ad marginem dicto alcoranico e Sura IX: 33.

Adest etiam alius similis, cusus ibidem anno 192, qui incepit die 6 Novembris a. Chr. 807. Vidi quoque inter nummos Generalis Russici generosissimi liberi Baronis van Suchtelen nummum aeneum hoc anno cusum hisce inscriptionibus:

I. A.	محمد	Mohammed
	رسول	legatus
	الله	Dei
	و	et

M. بسم الله ضرب هذا الفلس بدمشق سنة اثنان وتسعين *In nomine Dei cuditur hic fuls* (obulus, nummus aeneus) *Damasci anno centesimo nonagesimo secundo*

II. A.	لا اله الا	non est Deus, nisi
	الله وحده	Deus unicus,
	لا شريك له	non est socius illi.

Quae continuatio est inscriptionis in area an-

tica; nisi haec sit antica, et littera و in area altera pro sigla habenda.

Nummus XI.

I. M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بمدينة السلام سنة ثلث وتسعين ومئة *In nomine Dei cuditur hic dirhem in urbe salutis anno tertio et nonagesimo et centesimo.* Hic annus a fuga 193 incepit die 27 Octobris a. Chr. 808.

Nihil praeterea hic numus habet, nisi symbolum in area antica: "non est Deus, praeter Deum unicum, socii expertem;" atque in area postica altera symboli pars: "Mohammed est legatus Dei;" ad marginem inscriptio solita e Sura IX: 33.

In provincia Samarcanda rebellator quidam prodiit nomine *Rafi ben-Leit ben Nasr ben-Sajjar* رافع ابن اللّيث بن نصر بن سيّار qui, ut refert Fachr-Eddin Razi:

وَكَانَ هَذَا رَافِعٌ قَدْ خَرَجَ وَخَلَعَ ٱلطَّاعَةَ وَتَغَلَّبَ عَلَى سَمَرْقَنْدَ وَقَتَلَ عَامِلَهَا وَمَلَكَهَا وَقَوِيَتْ شَوْكَتُهُ

abjecta obedientiâ in seditionem ruit et rebellium; expugnataque Samarcanda, atque occiso praefecto ejus imperium exercebat vi et potestate auctior.

Istud rebellium Raschidus repressum profectus, gravi sub itinere morbo opprimitur, obiitque in urbe *Tus* طوس in provincia Chorasana, anno fugae 193, qui incepit die 27 Octobris a. Chr. 808.

Eadem die, qua Raschidus vitâ excessit, renuntiatus est in urbe Tus Chalifa filius ejus Alaminus, Chalifarum vigesimus septimus, et Abbasidarum sextus. Erat eo tempore Bagdadi, atque ibi et in aliis locis etiam renuntiatus est Chalifa. Jam ante renovaverat Raschidus Almamuno jus proximè succedendi Alamino, tetesque sibi adsciverat, ut quidquid pecuniae, armorum, atque aliarum rerum penes se esset Almamuno cederet, simul praecipiens ut quicumque secum erant milites relinquerentur Almamuno in Chorasana.

De lege successionis a Raschido sancita alii aliter judicabant: quidam dicebant imperium

hac ratione stabilitum fore et fixum, alii censebant patrem dissidia inter filios sparsisse, unde funestus rerum cursus et exitus futurus esset. Posterius evenit. Statim enim post Raschidi mortem nata Alaminum inter et Almamunum dissidia sunt, quorum auctor in primis habebatur Vezirius Raschidi Fadhlus filius Rebii. Hic enim, defuncto Raschido, copias ejus, contra atque ille mandaverat, Bagdadum duxit, licet Almamunus, scriptis ad eum litteris, conventa, quae cum eo pactus erat Raschidus, in memoriam ei revocaverit minatusque sit ob perfidiam. Interim Almamunus tamen, scriptis ad fratrem litteris, fidem illi praestitit, effecitque, ut Chorasani fidelitatem illi jurarent. Erat eo tempore Almamunus *Merwae* مرو una ex urbibus Chorasanae primariis, et favorem tum optimatum, tum populi sibi conciliabat, cum contra Alaminus ob lusum et potationem rerumque suarum negligentiam, contemtu apud omnes laboraret.

Ad apertas inter fratres inimicitias venit, cum Alaminus, a. f. 194, qui coepit die 15 Octobris a. Chr. 809, effecit, ut filius suus

Musa, موسى, quem cognominavit *Alnatik bil-hakki*, الناطق بالحق id est, loquentem verum, futurus ejus successor reciperetur, pactionesque omnes, quas Raschidus Alaminum inter et Almamunum scripserat, combussit, simul publicas preces pro filio suo fieri jubens, pro Almamuno autem fieri vetans. Quin et Nummorum, quos in Chorasana percusserat Almamunus, sive aureos sive argenteos, usu interdixit.

Suscitatam interea in Chorasana rebellionem alunt Rafi filius Alleiti, filii Sajjari, et Hartsema filius Aafani; verum Almamuno securitatem iis et injuriarum oblivionem promittente, ambo se illi ejusque imperio submittunt, ut tota Chorasana sine turbis Almamuno cesserit, qui omnem quoque cum Alamino communionem abrupit, effecitque, ut nomen ejus in monetariis Chorasanae haud cuderetur; ipse vero proprios cudere nummos perseveravit jura sua vi paterni testamenti in iisdem exponens. Talis est nummus XVII. apud Kehrium, cusus hoc ipso anno 194 in urbe Samarcanda, hac in area postica inscriptione:

لله
محمد رسول الله
مما امر به الامام المامون
ولي عهد المسلمين
عبد الله بن امير المومنين
الفضل

"Deo. Mohammed legatus Dei. Ex sancita lege est sacrorum antistes Abdalla Almamun, filius imperatoris fidelium, successor foederis orthodoxorum, sive imperii Islamitici. Alfadhl est ejus consiliarius."

Vel etiam sensus erit: "Deo. Mohammed legatus Dei. Jubente Abdalla Almamuno, filio imperatoris fidelium, sacrorum antistite, successore regni Islamitici (*nummum cudit*) Alfadhl."

Sequente anno fugae 195, qui coepit die 4 Octobris a. Chr. 810. atrox inter fratres bellum exarsit, missa ab Alamino ingenti contra Almamunum militum copia, qua, a belli duce Almamuni *Tdaher filio Hoseini* طاهر بن الحسين devicta, in Chorasana ejusque urbibus Chalifa salutatus fuit Almamunus.

Jura sua non armis tantum exsequi, sed et inscriptionibus in numis diligenter explicare, inque oculis ac conspectu omnium exponere, uterque interim frater sategit. Duo Alamini nummi hoc et sequente anno cusi in urbe pacis, cum tali in area postica inscriptione prolati sunt ab Ol. G. Tychsen:

ولي الله
محمد رسول الله
مما امر به عبد الله الامين
محمد امير المومنين
السريين

Hacce explicatione addita;

protector est Deus
Muh. legatus Dei,
cuius auctoritate est Abdallah Alamin
Muhammed Imperator fidelium.
principum.

"Priores duae dictiones, quas in his numis prima vice vidi, cum ultima conjungendae sunt. Formula quidem مما امر به nomini Chalifae praemissa de ejus mandato vel auctoritate sumi debet; - - - quae tamen in duobus hi-

sce, itemque in Kehrii XIV. a. 195. cusis, ex mea sententia intelligenda et explicanda est: de: *auctoritate Dei* aut Muhammedis, cujus et nomen gerebat, cujusque clientem chalifa ad incitas fere redactus, eo ipse se esse profiteri voluerit" *a)*.

In nummo Almamuni optime habito omnino que illaeso, qui inter meos est, *cuso in urbe Balch anno 195*, ضرب بمدينة بلخ سنة خمس وتسعين ومية ea in area postica, inscriptio exhibetur:

لله
محمد رسول الله
مما امر به الامام المامون
ولي عهد المسلمين
عبد الله بن امير المومنين
الفضل

Sensus vel erit: "Deo. Mohammed legatus Dei. Ex decreto est Abdallah Almamun, sacrorum antistes, filius imperatoris fidelium, successor imperii Islamitici. Alfadhl (est ejus consiliarius)." Vel etiam: "Deo. Mohammed le-

a) Additam. I: p. 19.

gatus Dei. Jubente sacrorum antistite Abdalla Almamuno, filio imperatoris fidelium, successore imperii Islamitici, *(nummum cudit)* Alfadhl."

Alius nummus eodem hoc anno *in urbe Bochara* ببخارا بمدينة procusus, ante aliquot annos in insula Gothlandia repertus, inque numophylacium regium illatus, in area postica breviorem hanc exhibet inscriptionem:

لله

محمد رسول الله

مما امر به الامام المامون

الفضل

"Deo. Mohammed legatus Dei. Jussu Sacrorum antistitis Almamuni *(numum cudit)* Alfadhl." In hoc certe nummo dictio illa مما امر به nullum aliud mandatum quam ipsius Almamuni respicere potest.

Nummus XII.

I. M. بِسْمِ ٱللَّهِ ضُرِبَ هٰذَا ٱلدِّرْهَمُ بِمَدِينَةِ ٱلسَّلَامِ سَنَةَ سِتٍّ وَتِسْعِينَ وَمِيَةٍ "In nomine Dei cudi-

tur hic dirhem in urbe salutis anno sexto et nonagesimo et centesimo." Coepit die 23 Septembris a. Chr. 811.

II. A. رَبِّي ٱللَّهُ

مُحَمَّدٌ رَسُولُ ٱللَّهِ

مِمَّا أَمَرَ بِهِ عَبْدُ ٱللَّهِ

مُحَمَّدٌ أَمِيرُ ٱلْمُؤمِنِينَ

ٱلْأَمِينُ

Id est: "Dominus est Deus. Mohammed est legatus Dei. Jubente Mohammede Abdallah Alamino, imperatore fidelium *(nummus cusus est).*" Vel etiam: "ex sancita lege (*Raschidi*) est Mohammed Abdallah Alamin fidelium imperator."

Ad marginem est solita sententia alcoranica e Sura IX: 33. desumta.

Hoc anno persecutum bellum est inter fratres cum insigni a parte Almamuni successu, effecitque armipotens belli dux ejus T'daher, ut in omnibus quae cepit locis juramentum fide-

litatis praestaretur Almamuno. Urbs princeps Bagdadum in potestate adhuc erat Alamini, ubi et numus ejus jam descriptus cusus est.

Narrabant, referente Elmacino, Alaminum, cum nuntiatum illi esset, exercitum ejus victum esse et ducem caesum, piscatu fuisse occupatum juxta quemdam vel servum suum, vel servam, atque dixisse nuntiantibus:

وعوني من هذا ان كوثر اصطاد سمكتين وانا ما اصطدت شيا بعد *ne vexate me ea re; Cauter* (nomen erat servi vel servae) *enim jam duos cepit pisces et ego nihil adhuc cepi.* Sic armis Almamuni solida ac virilis ingenii vi resistendis non impar modo, sed et nimium socors Alaminus erat et negligens; unde et timidi ejus milites nullius animi, nullius consilii erant. Hos ergo Taherus profligare perrexit, et Hasenus, alius Almamuni dux belli, Bagdadum venit, quo suasore cives Bagdadenses Alaminum chalifatu removerunt, juramento fidelitatis praestito Almamuno; et Alaminum compedibus constrictum in carcerem conjecit Hasenus. Mox vero commotus populus est, plurimosque poenituit mi-

lites sententiae Haseni, de abrogatione Alamini, esse assensos; quare bello persecuti Hasenum eum vincunt, ingressique ad Alaminum compedibus eum liberant, cum biduo in carcere mansisset, et in solium imperiale collocant, eique Hasenum tradunt. Huic tamen Alaminus pepercit, ablegans eum ad bellum inferendum Tahero; sed cum fugae se dedit interfecerunt eum Alamini milites, et caput ejus ad Alaminum attulerunt.

Inter nummos Almamuni hoc anno cusos XIV est apud Kehrium, cusus in urbe Isfahan, quique nullam aliam habet inscriptionem, quam symbolum fidei: "non est Deus praeter Deum unicum, socii expertem; a Deo est Mohammed legatus Dei," et infra nomen هرثمة *Hartsemah*. Similis in regio museo Suecico adservatus, cusus *in urbe Bochara* بمدينة بخارا habet nomen Alfadhl. Alius in eodem museo, cusus hoc anno *in urbe Zarengj*, بمدينة زرنج habet sub symbolo in area antica nomen mihi incognitum, nec ab injuria temporis omnino illaesum; legi potest *Alfannagj*, الفنج, quod teste Giggeio nomen viri apud Arabes est.

Sub altera symboli parte in area postica exstat nomen Alfadhl.

Narrat Abulfeda ad hunc ipsum annum; Almamunum, insigni contra fratrem reportata victoria, edicto sanxisse, ut titulo Emir Elmumenin, sive imperatoris fidelium, ipse compellaretur, simulque declarasse Alfadlum summum rectorem Iracae regionum, eumque ornasse titulo *Dsu-r-rajasatein* ذو الرياستين *duobus praeditus principatibus*, seu in cujus ditione erant cum res militares tum civiles.

Tabula IV.

Nummus XIII.

I. A. Symbolum. M. بِسْمِ ٱللَّهِ ضُرِبَ هٰذَا ٱلدِّرْهَمُ بِمَدِينَةِ إِصْبَهَانَ سَنَةَ سَبْعٍ وَتِسْعِينَ وَمِئَةٍ *In nomine Dei cusa est haec drachma in ur-*

be Isbahan anno septimo et nonagesimo et centesimo. Coepit die 12 Septembris a. Chr. 812.

II. A.	لِلّٰهِ	*Deo.*
	مُحَمَّدٌ	*Mohammed*
	رَسُولُ	*legatus*
	اَللّٰهِ	*Dei*
	هَرْثَمَة	Hartsemah (*nummum cudit*)

M. Inscriptio e Sura IX: 33.

Noster hic nummus, quemadmodum mox citatus Kehrii testimonium perhibet de Almamuni jam stabilita potentia in provincia Persiae Kouhistan, inter cujus urbes amplissimas fuit Isbahan, etiam dicta *Isfahan*, *Sifahan* اصفهان, صفاهان, extrema versus austrum in Iraca Persiae seu antiqua Parthia. Ejus urbis gubernator Hartsemah, qui numum cudit, et Taher, Almamuno Meccae proclamato Chalifa, hoc anno progressi sunt ad urbem Bagdad, ipsius Chalifae Alamini metropolim, eamque cum suburbibus suis obsidione cinxerunt; fuit-

que durissima obsidio, teste Elmacino, adeo ut petierint se mutuo cum *mangjanikat* منجنيقات *ballistis* seu *catapultis*, quae machinae fuerunt bellicae, quibus saxa et moles jaciebantur. Die autem quodam, cum bellum durissimum esset, Alaminus cum servo suo Kutr ludebat *schetrengj* شطرنج ludum latrunculorum sive schahicum, et dicenti cuidam familiarium ejus: o imperator fidelium, non nunc tempus est ludendi, surge et rationem habe negotii tui, respondisse fertur:

دعني فقد لاح لي علي كوثر شاه مات

sine me, jam enim mihi apparuit contra Kuterum regem moriturum (schah mat) quod in isto lusu victoriam significat.

In numo inter regios Suecicos hoc anno Samarcandae cuso, et antistes sacrorum et imperator fidelium salutatur Almamunus; inscritio nempe areae posticae haec est:

لله وبه
محمد رسول الله
مما امر به الامام
المامون امير المومنين
الفضل

Deo et per eum.
'Mohammed Dei legatus.
Jussu antistitis sacrorum
Almamuni, imperatoris fidelium
(numum cudit) *Alfadhl.*

Similis inter meos est, ibidem cusus anno f. sequente, qui coepit die 1 Septembris a. Chr. 813. Hoc anno major militum pars Alaminum deseruit; et quum primoribus civium Bagdadensium, qui ipsi favissent, multa metuenda, scriptis ad eos clanculum litteris, minatus esset dux copiarum Almamuni Taher, proclamata est Bagdadi abrogatio Alamini, et Chalifa renuntiatus est Almamunus; Taher etiam misit quosdam, qui media nocte Alaminum interfecerunt.

Voculae لله و به *Deo et per enm*, explicari possunt, docente illustri Fraehnio, لله الحمد وبه نستعين *Deo sit laus! Deo celebrando! et ad eum confugimus.* (Beiträge zur Muhammedanischen Münzkunde, p. 25). وبه apte congruenterque suppleri potest وبه أمنت *et*

illi (Deo) *confido:* بِاللّٰهِ آمَنَ *credidit in Deum, confidit Deo*, formula certe est frequentissima.

Nummus XIV.

I. M. بِسْمِ ٱللّٰهِ ضُرِبَ هٰذَا ٱلدِّرْهَمُ بِالأَنْدَلُسِ سَنَةَ سَبْعٍ وَتِسْعِينَ وَمِيَةٍ *In nomine Dei cusa est haec drachma in Andalusia, anno 197.*

Reliqua eadem sunt, quae in numis Hispanicis jam antea explicatis.

Abdorrahman primus in Hispania Chalifa obiit a. f. 172, Chr. 788, ei successit filius suus Hescham, mortuus a. f. 180, Chr. 796, cui successit filius suus Abulassi al Hakkam, mortuus a. f. 206, Chr. 822, eoque regnante nummus noster cusus est.

Coeptum vero ordinem initamque seriem Chalifarum Asiaticorum, ratione cum primis habita nummorum, ex re jam erit pertexere.

Septimus Abbasidarum, et post Mohamedem vigesimus octavus Chalifah *Abulabbas Al-*

mamun المامون ابو العباس, qui et *Abugjafar Abdallah* ابو جعفر عبد الله dictus fuit, filius Harunis Raschidi, jam ante fratris Alamini caedem proclamatus Chalifah inauguratus est inauguratione secunda, tempore matutino diei ab ea nocte, qua frater occisus fuit, proximi, omnesque se ei adjungentes a praeliis intestinis cessarunt.

Acceptis anno a fuga 198, rerum habenis Fadhlum filium Sahali omnibus negotiis administrandis praeposuit Almamunus, quem, auctore Abulfeda, ut vidimus, jam anno a fuga 196, titulo ornavit ذو الرياستين *duos habens principatus*, quum in ejus essent potestate et res pacis et belli. Elmacinus autem dicit titulum illum Fadlo datum fuisse anno a fuga 198; et in numis quidem a. 196 et 197 cusis nomen exstat Alfadhl; at post annum 198, titulus *dsu-r-rajasatein* in nummis occurrit.

Titulus Alfadhlo tributus, sed vel maxime ingens invidiaeque subjecta potentia titulo isti conjuncta, domesticis discordiis causam dedit et bello intestino. Fama enim in populo divulgabatur Fadhlum, excluso Almamuno, sua

solius auctoritate omnia agere; populo autem illegitimum tale detrectante imperium seditionem atque discordiam in civitatem inducendi occasionem nacta est familia Talibitica. Erant *Tabitae* الطالبيون e posteris et cognatis Ali filii Abutalibis, qui jus Chalifatus praetendebant, quum Ali, qui uxorem duxerat (filium Mohammedis Fatimam, successor declaratus esset imperii, sed quem familia Ommajadica per contemtum ابو تراب *patrem pulvereum* appellavit, ut in historia sua ecclesiastica testatur Patricides. Posteritati Alis addicti summum asserentes pontificatum et imperium ex auctoritate ac testamento debitum esse familiae Alis, nec nisi per iniquam occupationem et tyrannidem ab ipsa egredi posse, statuebant principatum transiisse post Alim ad filium ejus Hassan, hinc ad Hossein, deinde ad Muhammedem filium Hanifiae, adhaec ad filium ejus Abu Haschem, ab hoc ad Muhammedem filium Alis, filii Abdallae, filii Abbasi, ab hoc ad filium ejus Ibrahimum, ab hoc ad Saffahum, denique ad Almansorem.

Jam vero *Abussaraja filius Mansuris* ابو السرايا بن منصور, *Mohammed filius Ibrahimi* محمد بن ابرهيم etiam filius *Tabatibae* طباطبا dictus, aliique seditionis duces populum invitarunt ad praestandam generi Mohammedis benevolentiam, et ad observandum tum ipsum Coranum seu Muhammedanorum scripturam sacram, tum etiam *Sunnam*, السنة, *legem secundariam*, seu praecepta et traditiones de dictis factisque Muhammedis in Corano non contentis.

Muhammedi huic filio Tabatibae juramentum fidelitatis praestitit Abussarajas, et multis commissis praeliis victoriisque a ducibus Almamuni reportatis, eidem, interea e vita discesso, successorem inaugurabat alium ex eadem familia Talibitarum, nomine Muhammedem filium Muhammedis.

Almamun interea commorabatur in Chorasana, Alfadhlo summam rerum potestatem administrante Bagdadi. Et nummus in hac urbe, anno a fuga 199, qui coepit die 21 Augusti a. Chr. 814, procusus, inque museo

regio Suecico adservatus, de Alfadli potentia, nullis circumscripta aut definita terminis, publicum reddit testimonium. Habet nempe in area adversa symbolum fidei: "non est Deus praeter Deum unicum socii expertem," et in area aversa sub altera symboli parte: "Mohammed est legatus Dei," titulum ذو الرياستين.

Anno a fuga 200, qui coepit die 10 vel 11 Augusti a. Chr. 815, quum magnum contra rebelles exercitum duceret Hartsemah filius Ajani, Abussarajas primum fuga se Cufam recepit, mox vero ea urbe egressus cum Muhammede filio Muhammedis in fugam ulterius se dedit; utroque autem ab Hartsema prehenso, atque ad gubernatorem Iracae Hasenum filium Sahali misso, Abussarajae Hasenus collum praecidit, et Muhammedem filium Muhammedis ad Almamunum misit in Chorasanam.

Ad Almamunum etiam profectus Hartsema hortatus eum est ut Bagdadum veniret, quo in medio imperii sui esset, Alfadlum simul accusans quod de negotiis celaret Almamunum. Contra ea Alfadlus criminatus est Hartsemam, ut qui provinciis ab Almamuno abalienandis o-

peram impendens Abussarajam ad bellum excitandum civile subornavit. Et quum apud Almamunum plurimum valeret auctoritas Alfadhli, factum est, ut jussu Almamuni Hartsemah verberatus sit atque in carcerem conjectus, Fadlo quemdam clam delegante, qui eum interfecit.

Adest in regio museo Suecico nummus hoc anno cusus *in urbe Nischabur*, بمدينة نيشابور, quae teste Ebn Haukal inter maximas provinciae Chorasanae urbes fuit; habet ille numus sub symbolo in area antica nomen المسرو, et sub symboli parte altera in area postica titulum Alfadli ذو الرياستين. Sic in nummis, qui in Chalifatus cudebantur metropoli, titulus tantum administratoris regni exprimebatur, in iis vero, qui cudebantur in urbibus provinciarum, et ille titulus locum habuit, et insuper nomen in provincia gubernatoris.

Nomen gubernatoris nummo nostro inscriptum certe videtur esse *Almesru*, liberalem et generosum significans. In Repertorio or. et exeg. Eichhorniano T. X. nummus huic no-

stro similis a Reiskio descriptus est, in quo nomen hoc lectum fuit المموں et pro nomine habitum ipsius Chalifae Almamunis. Sed suspicatus jam est acutissimus Ol. Gerh. Tychsen haud recte sese habere hanc lectionem, et ex nostro nummo certissime constat nomen Almamun hic nullatenus esse reperiundum: nec enim المامون, ut id nominis semper scribitur, e litteris in nummo cuficis exsculpi potest, nec lectio dubia haberi, quum elegantissimus nummus sit et ab omni parte illaesus.

Adest quoque in Numophylacio Suecico nummus cusus *in urbe Zarengj* بمدينة زرنج anno a fuga 201, qui coepit die 29 vel 30 Julii a. Chr. 816, in cujus area adversa nomen gubernatoris exstat, quod legi potest كلثوم, aversa autem area titulum honoris habet Alfadhli. Ol. Gerh. Tychsen *a)* alium citat nummum hoc anno Muhammediae cusum, eodem honoris et potentiae titulo insignem.

Jamque summa sua apud Almamunum potentia et auctoritate Alfadhlus, posteris Alis

a) Introd. p. 30.

semper favens, rem eo perduxit, ut Almamun, iis posthabitis, qui cognatione proxime adjuncti sibi erant, successorem e Talibitis sibi constituerit. *Alim filium Musae* علي بن موسى e progenie Abitalibis ad se in Chorasanam accersivit, filiamque suam *Ommo Habibah* أم حبيبة in uxorem illi dedit, effecitque ut inaugurаretur *in societatem foederis ejus* بولاية عهده vel, ut etiam dicebatur, constitueretur *successor foederis orthodoxorum*, ولي عهد المسلمين nempe ut futurus post Almamunum reciperetur Chalifah. Vocavit eum *Al Ridha* (er-ridha) *min ali mohammed* الرضي من آل محمد *acceptum e familia Mohammedis.* Mandavit simul exercitui suo, ut, depositis tiaris nigris, omnes virides induerent; colorem enim nigrum suum fecerunt Abbasidae, viridem autem qui e familia erant prophetae Mohammedis.

Scripsit ea de re Almamunus in provincias, notum faciens, se ex posteris Alabbasi et Ali neminem Ali filio Musae praestantiorem, sanctiorem vel doctiorem reperisse, ideoque ipsum sibi destinasse successorem. Scripsit quoque ad gubernatorem Irakae Hassanum filium Sa-

hali, ut is Bagdadi procuraret inaugurationem Ali-r-Ridha civesque juberet induere viridia.

Verum enim vero effrenis tunc surrexit discordia, bellaque et seditiones, quae ab eo inde tempore quo occisus fuerat Alaminus, cives Iracae dissidentes inter se fecerant, novo furore saeviere. Hassan filius Sahali exercitum coëgit nomine Almamuni, sed alii duces e familiis in primis Haschemi et Abbasi, indigne ferentes chalifatum ad inimicos suos transferri, alia adducta militum copia eo progressi sunt, ut anno a fuga 202, qui coepit die 19 vel 20 Julii a. Chr. 817, Almamunum chalifatu deponerent, in ejusque locum chalifam crearent patruum suum *Ibrahimum filium Mahdi* ابرهيم بن المهدي, quem nomine *Almobârek*; المبارك hoc est felicem vel benedictum insigniverunt.

Ibrahimus ille Mobârek, qui, ut videtur, invitus fere imperium accepit, urbibus Bagdado et Cufa potitus castra posuit in Madajena, ubi bello eum adoriebatur Hasenus filius Sahali et imperium ejus valde fuit turbatum. Al-

mamunns autem, his rebus intellectis, et cognoscens multa in se reprehendi, atque haec inter quod Fadhlus sua solius auctoritate omnia ageret, Bagdadum contendit. Et cum venisset ad urbem Chorasanae *Sarches* سرخس subornavit quemdam, qui Fadhlum in balneo occidit, simulans autem id suo jussu non esse factum, homicidam necavit.

Haec refert Elmacinus ad annum a fuga 202; verum enim vero numum vidi, quem possidet Generalis Russicus liber Baro a Suchtelen, *cusum Samarcandae anno 204* ضرب بسمرقند سنة اربع ومائتين, cujus in area antica inscriptio haec est:

لا اله الا
الله وحده
لا شريك له
المسرو

In area partis alterius:

لله
محمد
رسول
الله
ذو الرياستين

Alium nummum excitat Ol. G. Tychsen *a)*, cusum anno a fuga 204, Basrae, cum nomine *Jussuf* يوسف in area adversa, et titulo Fadhli ذو الرياستين in aversa: ideoque Alfadlus hoc anno adhuc in vivis erat.

Anno a fuga 203, qui coepit die 8 vel 9 Julii a. Chr. 818, Almamun ad urbem Tus pervenit, ubi regni a se constitutus successor Ali filius Musae Arradi repentina morte decessit. Interea Bagdadi rebellarunt milites contra Ibrahimum filium Mohdi, qui se abscondidit, neque e latebris prodiit; imperavit autem annum unum, menses undecim, et aliquot dies.

Anno a fugae 204, qui coepit die 27 Junii a. Chr. 819, Bagdadum profectus est Almamun, indutus ipse, uti et milites ejus, vestimentis viridibus. Cives ei occurrerunt, ingressusque Bagdadum sedem ibi fixit, ac post septimanam induit vestes nigras, quas populum etiam militesque induere jussit; unde acceptus iterum factus est Abbasidis et publica tranquillitas restituta.

a) Introd. p. 31.

Quum Chalifa constitueretur Ibrahimus filius Mohdi quidam summam hanc dignitatem traditam voluisse dicuntur Motasemo filio Harunis Raschidi, fratri Almamuni; sed alii censerunt eum non illa adhuc aetatis maturitate fuisse, ut tanto oneri ferendo par haberi posset, et sic electus est Ibrahimus. Ipsum autem Motasemum illibatam semper fidem erga Almamun servasse historicorum testimoniis constat; atque idem innuere etiam videntur nummi.

Inter haud paucos nummos cuficos, quos a mercatore Stockholmensi mihi comparavi, et care quidem, quique e terra in Suecia diverso tempore et loco effossi dicebantur, tres sunt signati anno 205 his inscriptionibus:

I. Pars antica.

Area.

لا اله الا *Non est Deus, praeter*
الله وحده *Deum unicum,*
لا شريك له *cui non est socius.*

Ad Marginem

بسم الله ضرب هذا الدرهم بمعكر الحسن سنه خمس ومايتين *In nomine Dei cuditur hic dir-*

hem - - anno quinto et ducentesimo. Coepit die 16 Junii a. Chr. 820.

Pars postica.

Area.

العباس بن

محمد

رسول

الله

- - ايوب

Alabbas filius

Mohammed

legatus

Dei.

- - Aiub.

Ad marginem

Inscriptio solita e Sura IX: 33, desumta.

De loco monetae mihi non certo constat; prior vox est معدن *locus* vel معكر *macar;* posterior videtur esse الحسن, quum haud illaesa sit, sed fuit certe الشاش.

2. Pars antica.

Area.

لا اله الا

الله وحده

لا شريك له

Non est Deus, nisi

Deus unicus,

cui non est consors.

Inscriptio ad marginem orbicularis interior: بسم الله ضرب هذا الدرهم بمدينة السلام سنة خمس ومايتين *In nomine Dei cuditur hic dirhem in urbe salutis anno quinto et ducentesimo.*

Inscriptio orbicularis ad marginem exterior: لِلَّهِ ٱلْأَمْرُ مِنْ قَبْلُ وَمِنْ بَعْدُ وَيَوْمَئِذٍ يَفْرَحُ ٱلْمُومِنُونَ بِنَصْرِ ٱللَّهِ *Deo est imperium de praeterito et de futuro; jam vero* (praesenti tempore) *laetentur fideles auxilio divino.* Sura XXX: 4, 5.

Pars postica.

Area:

لله

محمد

رسول

الله

Deo.

Mohammed

legatus

Dei.

Ad marginem:

Inscriptio solita e Sura IX: 33, desumta.

3. Pars antica.

Area.

لا اله الا

الله وحده

لا شريك له

Inscriptio orbicularis ad marginem interior: بسم الله ضرب هذا الدرهم بمدينة السلام سنة خمس ومايتين *In nomine Dei cuditur hic dirhem in urbe salutis anno quinto et ducentesimo.*

Inscriptio orbicularis ad marginem exterior: لِلّٰهِ ٱلْأَمْرُ مِنْ قَبْلُ وَمِنْ بَعْدُ وَيَوْمَئِذٍ يفرح

المومنون بنصر ٱللّه *Deo est imperium de praeterito et de futuro; jam vero laetentur fideles auxilio Dei.*

Pars postica.

Area:

لله

محمد

رسول

الله

المعتصم بالله

Deo.

Mohammed

legatus

Dei.

Almotasem billah.

Ad marginem inscriptio solita e Snra IX: 33. desomta.

Nimirum ambo posteriores hi nummi ejusdem commatis sunt, nihil fere inter se differentes, praeterquam quod nomen Almotasem billah in altero adest, ab altero vero abest. Fabrica non eadem quidem est, sed quod uter-

que nummus eodem anno cusus sit, atque ab eodem Almotasemo, vivo adhuc et imperante fratre ejus Almamuno, summa dici posse mihi videtur verisimilitudine. Certe quin ille, qui nomine caret, cusus sit anno 105 nullus quidem scrupulus injici potest, atque alter cum nomine Almotasemi huic est simillimus eodem loco cusus eodemque signatus anno; uterque praeterea illaesus omnino est atque elegantissimus, ut de vera lectione dubium nullum oriri possit. Qui nomen Almotasemi inscriptum habet aere expressus est in Tab, I. n. 3. particulae hujus opusculi posterioris.

Uterque hic nummus primus est, quantum quidem mihi constat, in quo dictum alcoranicum Cap XXX: 4, 5, occurrit. Creditnm huc usque fuit Califam Motawakkelum primum fuisse, qui sententiam illam nummis inscripsit; idque eam ob causam, quod, imperium cum praeter fas sibi adscivisset, videri certe voluerit hac sua in nummis nova inscriptione Deo illud referre acceptum.

Jam vero alia quaerenda est causa, et, ut puto, tum in intestinis filiorum Raschidi bellis,

tum praecipue in rebellionibus contra Mamunum suscitatis reperiunda. In turbis illis fratri Mamuno fidissimus mansit Motasemus, neque, ut patruelis suus Ibrahimus, passus est ad rebellionem se traduci; hanc suam erga fratrem integram et incolumem fidelitatem nova in nummis inscriptione testari voluit Almotasemus; addita simul nomini suo voce بالله indicavit se per Dei gratiam servatum fuisse, ne contagione se contaminaverit perduellionis, quin contra ad Deum confugiens illi sese ac salutem suam soli commiserit crediderit que; is enim sensus nomini *Almotasem billah* competit. Est nempe *motasem* معتصم forma participialis VIII. conjugationis, ut loquuntur grammatici, verbi *asama* عصم, defendere, quod verbum in conjug. VIII, adjecta illi voce بالله significat, vertente Giggeio, "ob divinam munificentiam contumaciam evasit, neque rebellis fuit; ad Deum confugit."

Motasemi nomen in nummo nostro haud aliter considerandum est quam Alfadl, Ali, Nassr, et nomina in Mamuni nummis alia; ipsius Mamuni nomen, postquam ille chalifatum

occupaverat, in nummis non occurrit, neque sententiam alcoranicam e capite XXX: 4, 5, desumtam, in aliis nummis Mamuno imperante cusis exstare crederem, quam in illis quos cudi fecit Motasemus.

Dici alias potest nummum cum nomine Motasemi cusum tandem esse anno 125, et numerum vicenarium omissum; vel etiam typum antiquum anno 105 signatum ad partem anticam per errorem fuisse adhibitum.

In litteris ad me datis Rostochio ad d. XXIII Oct MDCCCIII me docuit b. Ol. G. Tychsen se tum nuper tres numos argenteos, omnium quotquot viderat, rarissimos accepisse; duos regnante AlMamuno Medinat essalam a. CCVI et CCXIIX; tertium sub ejus fratre Almotasem billah Isbahanae a. CCXXI cum duabus orbicularibus adversae inscriptionibus procusos esse; Almamunum itaque Suram XXX: 4, 5, numis primum insculpi curasse, et Almotasemum omnium primum dictionem بالله nomini suo in numis addidisse, ad liquidum nunc esse perductum.

Anno a fuga 213, qui coepit die 21 Martii a. Chr. 828, praeficiebat Mamunus fratrem suum Motasemum Syriae (Damascenae, Palaestinae, vicinaeque) Ægypto. Et Damasci aliquando agens cum nummorum premeretur penuria, quamque ad fratrem Motasemum quereretur, frater intra aliquot dies arcessit triginta millium millia de reditibus provinciarum, quas ipse nomine fratris administrabat, narrante Abulfeda, qui quoque ad annum a fuga 218, Chr. 833, haec refert: "quum vitae finem sibi sentiret adesse, tradebat Almotasemo, fratri, summam potestatem, coram AlAbbaso, filio; longaque et elegante oratione timorem Dei civiumque amorem ipsi commendabat. Ego tibi, ajebat, injungo custodiendum foedus et pactum Dei (cum hominibus) et protectionem, quam ejus propheta (suis pariter atque alienis) spospondit. Implebis Dei ad homines munia; quae vicissim Deo debent conditori ejus cultores, exiges ab iis et asseres; et obsequi Deo potius habebis, quam refragari. En ego hanc ab alio (filio meo ademtam) in te transfero procurationem et administrationem imperii, si has in conditiones condicis. Imo vero condi-

cis. Imo vero condico, ajebat Almotasem, ita me Deus adjuvet."

Obiit hoc anno Almamunus, a scriptoribus orientalibus eximie laudatus, quemque, praeter aliam, hac laude afficit Elmacinns:

كان كامل الفضل جوادا عظيم العفو حسن التدبير لم يكن في بني العباس اعلم ولا اكثر فضلا منه

fuit omnimode excellens, liberalis, magnae condonationis (clementiae) et boni regiminis, neque inter Abbasidas quisquam fuit eo eruditior, nec praestantior.

Inter nummos regios Sueciae duo sunt hoc anno cusi, alter eorum sine alicujus nomine, alter autem cum nomine Almotasemi, uterque cum inscriptione e Sura XXX: 4, 5; sic nempe inscripti suut:

Unus

لا اله الا
الله وحده
لا شريك له

M. 1. بسم الله ضرب هذا الدرهم بمعكر

الشاش سنه ثمان عشره ومايتين (بمعدن) *in nomine Dei cuditur hic dirhem in macar* (loco) *Al-schasch, anno decimo octavo et ducentesimo.*

M. 2. Inscriptio e Sura XXX: 4. 5.

II. A.

لله
محمد
رسول
الله

M. inscriptio e Sura IX: 33.

Alter.

لا اله الا
الله وحده
لا شريك له

M. 1. بسم الله ضرب هذا الدرهم بمدينة السلام سنة ثمان عشره ومايتين *in nomine Dei cuditur hic dirhem in urbe salutis, anno decimo octavo et ducentesimo.*

M. 2. inscriptio e Sura XXX. 4, 5.

II. A. لله

محمد

رسول

الله

المعتصم بالله

Deo.

Mohammed

legatus

Dei.

Almotasem billah.

Successit hoc anno fratri suo Almamuno octavus Abbasidarum et Chalifa vigesimus nonus *Muhammed Almutasem billah Abu Ishac filius Harunis Raschidi* المعتصم بالله ابو اسحق محمد بن هرون الرشيد

Sequente anno 219, qui coepit die 15 Januarii a. Chr. 834, duo numi cusi adservantur in numophylacio regio, alter cusus *Bagdadi* بمدينة السلام delineatus est in Tab. II. n. 2. particulae posterioris; alter cusus est in oppido Persidis *Merw* مرو uterque cum nomine Almotasem, iisque, qui jam descripti sunt, consimilis.

Adsunt ibidem bini similes, cusus alter Alschaschae, alter Samarcandae, anno a fuga 220, qui coepit die 4 Januarii a. Chr. 835.

Quum militum copiam tantam habuerit idiota Motasemus, quantam nemo ante eum, ut Bagdadum eam non caperet, urbem *Samarram* سر من راي (*sarra man ra*; h. e. laetatur qui videt) aedificavit, ubi ipse et successores aliquot ejus habitarunt, ubi et mortuus est anno a fuga 227, qui coepit die 20 Octobris a. Chr. 841.

Successit ei filius suus *Harun Alwatsek billah Abugjafar* الواثق بالله ابو جعفر هرون trigesimus Chalifah et nonus Abbasidarum.

Hujus nummus, quem meis annumero, in opusculi hujus partis posterioris Tab. I. n. 4, delineatus, his inscriptionibus insignitus est:

لا اله الا *Non est Deus, praeter*
الله وحده *Deum unicum,*
لا شريك له *cui non est socius.*

M. I. بسم الله ضرب هذا الدرهم بالشاش سنة ثمان وعشرين ومايتين *In nomine Dei cu-*

ditur haec drachma Alschaschae anno octavo et vicesimo et ducentecimo. Coepit die 9 Octobris a. Chr. 842.

M. 2. Inscriptio e Sura XXX: 4, 5.

II. A.	لله	*Deo.*
	محمد	*Mohammed*
	رسول	*legatus*
	الله	*Dei.*
	الواثق بالله	*Alwâtsek billah.*

M. Inscriptio e Sura IX: 33.

Alius inter regios est, cusus in urbe salutis, anno a fuga 230, qui coepit die 17 Septembris a. Chr. 844.

ضرب بمدينة السلام سنة ثلثين ومايتين

Praeterea similis. Delineatus est in partis posterioris Tab. II. n. 3.

Alius similis meus est, elegantissimus optimeque habitus, cusus anno a fuga 231, qui coepit a. Chr. die 6 Sept. 845:

بسم ضرب هذا الدرهم بفارس سنة احدي وثلثين ومايتين *In nomine Dei cuditur hic dir.*

bem in Perside anno primo et trecentesimo et ducentesimo.

Urbes maximae Persidis erant, teste Ebn Haukal, *Schiraz*, شيراز *Siraf*, سيراف, una *ex oculis urbium Persidis* از عيان شهرهاي فارس dicta, et *Arghan* ارغان; in una harum numus noster forte cusus est. Ad urbem certe Schiraz omnes e Perside reditus confluebant, eodem teste Haukelide, ibique habitabant fiscalium praestationum et vectigalium exactores: est itaque verisimile ibidem etiam fuisse officinam cudendae monetae, eamque quasi eminentem et primariam Persicam dictam. Nummus delineatus est in Partis posterioris Tab. I: n. 5.

Hoc anno, auctore Elmacino, vel anno 232, qui coepit die 27 Aug. a Chr. 846, auctore Abulfeda, mortuus est Alwatsek, eique successit Chalifa trigesimus primus, et decimus Abbasidarum, *AlMotewakkel Alallah Abulfadhl Gjafar*, المتوكل علي الله ابو الفضل جعفر frater Alwatseki.

Hic anno a fuga 235, qui coepit die 25 Julii a. Chr. 849, designavit futurum succes-

sorem suum filium suum *Mohammedem Almostanser billah* محمد المستنصر بالله, post hunc filium suum *Almotaz billah* المعتز بالله, et post hunc filium suum *Ibrahimum Almowassak billah* ابرهيم الموید بالله. Anno autem 240, qui coepit die 1 Junii a. Chr 854, assignavit filio suo Almutazzo *aeraria omnium provinciarum, et officinas monetarias; jussitque nomen ejus cudi super drachmis*,

خزن الاموال في جميع الآفاق ودور الضرب وامر بضرب اسمه على الدراهم

Hujus quoque mandati testimonium perhibent ipsi numi. Inter numos regios unus est hisce inscriptionibus.

لا اله الا
الله وحده
لا شريك له
ابو عبد الله

Non est Deus, praeter
Deum unicum,
cui non est socius.
Abu Abdallah.

M. 1. بسم الله ضرب هذا الدرهم بمدينة السلام سنة سبع وثلثين ومايتين *In nomine Dei cuditur hic dirhem in urbe pacis, anno septimo et tricesimo et ducentesimo.* Coepit die 4 Julii a. Chr. 851.

M. 2. Inscriptio e Sura XXX: 4, 5.

II. A. لله
محمد
رسول
الله
المتوكل علي الله

Deo.
Mohammed
legatus
Dei.
Almotawakkel Alallah.

M. inscriptio e Sura IX: 33.

Alius ita inscriptus est:

I. A. لا اله الا
الله وحده

لا شريك له

المعتز بالله

Non est Deus, praeter

Deum unicum,

cui non est socius

Almotaz billah.

M. 1. بسم الله ضرب هذا الدرهم بمرو سنة احدي واربعين ومايتين *In nomine Dei cuditur hic derham Marwae anno primo et quadragesimo et ducentesimo.* Coepit die 21 Maji a. Chr. 855.

M. 2. Inscriptio e Sura XXX: 4, 5.

II. A. لله

محمد

رسول

الله

المتوكل علي الله

Deo.

Mohammed

legatus

Dei.

Almotawakkel Alallah.

M. Inscripto e Sura IX: 33.

Alius item similis, cusus Alschaschae, anno a fuga 244, qui coepit die 18 April. a. Chr. 858

ضرب بالشاش سنة اربع واربعين ومايتين

Alius item male affectus, in quo annus detritus est; monetae locus videtur fuisse Mohammediah.

"Numi Motawakkelis", verba sunt Ol. G. Tychsenii, "et rari, et modulo minores, sed crassiores sunt, duobus titulis in *adversa* aream circumdantibus instructi. Unicum ejus adhuc cognitum numum, *Medinat essalâm* a. 237. conflatum Adlerus coll. nov. num. XXIII dedit. Similem ei *Samarcandae* a. 244 percussum *Adlerus* Berolin. possidet."

Anno a fuga 247, qui coepit die 16 Martii a. Chr. 861, occisus fuit Al Motawakkel, in id conspirante filio ejus *Muhammed Abugjafar Almostanser billah* المستنصر بالله ابو جعفر محمد, qui patri successit Chalifah trigesimus secundus, et undesimus Abbasidarum; sed mor-

tuus est, ut dicebatur veneno, cum imperasset menses sex, minus aliquot diebus, anno a fuga 248, qui coepit die 6. Martii a. Chr. 862. Illi successit trigesimus tertius Chalifah, et duodecimus Abbasidarum *Ahmed Abu abbas Almostain billah filius Muhammedis filii Almotasemi*, *filii Harunis Raschidi* المستعين بالله ابو العباس احمد بن محمد بن المعتصم بن هرون الرشيد, imperio depositus anno a fuga 251, qui coepit die 1 Februarii a. Chr 865; cuique successit trigesimus quartus Chalifah, et decimus tertius Abbasidarum *Muhammed Abu-Abdallah Almotaz billah*, *filius Almotawakkelis* المعتز بالله ابو عبد الله وقيل محمد بن المتوكل, depositus et mortuus anno a fuga 255, qui coepit die 19 Decembris a. Chr. 868.

Ejus sunt duo nummi inter regios Suecicos, uterque autem male affectus. In uno legi potest:

لا اله الا
الله وحده
لا شريك له

Non est Deus, nisi

Deus unicus,
cui non est socius.

M. 1. بسمرقند سنة ثلث و-- *Samarcandae anno tertio et* - -

M. 2. Inscriptio e Sura XXX: 4, 5; sed quae fere est deleta.

II. A. —
—
رسو-
الله
المعتز با --
امير المومنين
(Deo)
(Mohammed)
legat(us)
Dei,
Almotaz bil(lah)
Princeps fidelium.

M. Inscriptio e Sura IX: 33.

Annus monetae erit 253, qui coepit die 10 Januarii a. Chr. 867.

In altero nummo ex aera illaesae supersunt voces

-- سنة ثلث وخمسين --

anno tertio et quinquagesimo.

In area postica residuae quoque sunt litterae quaedam ex nomine Almotaz billah, unde constat nummum cusum fuisse anno a fuga 253.

Quod huic Chalifae fuerit nomen, et quod praenomen certo non constat; "Muhammedem hi", inquit Abulfeda, "illi Zobairum nominant; praenomen autem Abu Abdallah fuisse ajunt, alii aliud". Quod jam adtulimus nomen Elmacinus ei tribuit. Qui ei successit Chalifah trigesimus quintus, et decimus quartus Abbasidarum, *Muhammed Abu-Abdallah Almohtadi billah, filius Alwatheki billah* المهتدي بالله ابو عبد الله قيل محمد بن الواثق بالله occisus fuit anno a fuga 256, qui coepit die 9 Decembris a. Chr. 869; eique successit Chalifah trigesimus sextus, et decimus quintus Abbasidarum *Ahmed Abulabbas Almotamed Alallah filius Almotawakkelis*, المعتمد علي الله ابو العباس احمد بن المتوكل.

Nummi, ipso imperante cusi, inter regios Suecicos quatuor sunt; unus cusus *Ahwazae* بالاهواز (urbs est in Susiana) anno ducentesimo sexagesimo, qui coepit die 26 Oct. a. Chr. 873; habet sub symbolo in area antica nomen Gjáfar, et sub altera symboli parte in area postica nomen Almotamed Alallah, praeterea solitas inscriptiones orbiculares e Suris XXX: 4, 5; IX: 33.

Alius cusus Alschaschae anno a fuga 268, qui coepit die 31. Julii a. Chr. 881. Cum nomine *Almuaffik* الموفق sub symbolo in area antica; reliqua fere sunt detrita.

Alius cusus *in Mires* بميرس anno nono --- cum nominibus in area antica Almuaffik billah et Omru ben Al-Leith; in area postica Almotamed Alallah. Locus monetae certe videtur esse ميرس locus, teste Ebn Haukal, in Armenia positus; annus erit 269, qui coepit die 20 Julii a. Chr. 882. *Omru ben Leith* امرو بن الليث erat gubernator Chorasanae.

Alius cusus *bearminijje*, hoc est *in Arme-*

nia, بارمينية anno 277, qui coepit die 24 April. a. Chr. 890, habet in area antica nomen Almuaffik billah, et Almotamed Alallah in area postica. Omnes inscripti sunt sententiis Alcoranicis e Suris XXX: 4, 5; et IX: 33.

Anno a fuga 258, Chr. 872 constituit Almotamed Alallah fratrem suum Abu-Ahmedem imperii participem, seu *socium foederis sui* ولي عهده dignitatis ei vestem induens, ac cognominans eum *Almuaffik billah* الموفق بالله; futurum quoque successorem ejus designans filium suum *Gjafarum filium Almotamedis* جعفر بن المعتمد. Almuaffik autem totam regni gubernationem sibi asseruit:

ولم يبق للمعتمد معه الا مجرد الا سم والدعا
علي المنابر وضرب اسمه علي الدنانير ولدراهم
فاما تدبير الملك فهو للموفق دونه

neque relictum fuit Almotamedi quidquam, cum eo, nisi solus titulus et quod in suggestis oraret, nomenque ejus cuderetur super nummis aureis argenteisque Gubernatio regni tota Almuaffici erat; non illius.

Mortuo, anno a fuga 278, Chr. 891, Almuaffico Billah successit ei in gubernatione regni *Ahmed Abulabbas Almotadhed Billah* المعتضد بالله ابو العباس احمد filius ejus, cui et patruus suus Almotamed dignitatis vestem induit, constituens eum socium foederis sui, deposito ea dignitate filio suo Gjafare:

وغلب المعتضد بالله علي عمه المعتمد كما كان ابوه الموفق غالبا عليه

et plus polluit Almotadhed billah patruo suo Almotamed, uti pater ejus eo plus polluerat; ut porro testatur Elmacinus.

Anno a fuga 279, qui coepit die 2 April. a. Chr. 892, obiit Almotamed Alallah, eique successit Almotadhed billah ex fratre nepos ejus, Chalifah trigesimus septimus, et decimus sextus Abbasidarum; atque ingenti numero nummi adsunt, eo imperante procusi:

Nummus inter regios, cusus Alschaschae anno a fuga 280, qui coepit die 22 Mart. a. Chr. 893, habet sub symbolo in Area postica nomen Chalifae solum Almotadhed billah,

Inter meos nummus est cusus hoc anno Samarcandae; sed in area postica nomina habet Almoctader billah et Ahmed ben Ismail, quae cum hoc anno non conveniunt.

Inter regios numus est, Alschaschae cusus, anno 281, qui coepit die 12 Martii a. Chr. 894, is habet sub symbolo in area postica nomen Chalifae Almotadhed billah, et sub eo *Ismail* اسمعيل.

Alius cusus ibidem eodem anno, habet sub symbolo in area antica nomen vel sigla حر حر bis posita, et sub altera symboli parte in area postica nomina Almotadhed billah et Ismail. Singulare autem est in hoc numo, quod non ut id genus nummi ceteri, in parte prima duplicem habeat ad marginem scripturam orbicularem; caret enim inscriptione e Sura XXX: 4, 5, desumta, nec abscissa est, cum nummus in margine illaesus sit atque integer.

Alius cusus Samarcandae anno 282, qui coepit die 1. Mart. a. Chr. 895 habet in area postica nomina Almotadhed billah et Ismail.

Similis eodem anno cusus est Alschaschae. Alius autem cusus eodem anno Alschaschae habet praeterea sub symbolo in area antica nomen, quod legi potest بنكث vel similiter.

Alius cusus Alschaschae anno 283, qui coepit die 18 Febr. a. Chr. 896, habet sub symbolo in area postica nomina Almotadhed billah et *Ismail filius Ahmedis* اسعيل بن احمد

Similes cusi sunt Alschaschae et Samarcandae anno 284, qui coepit die 7 Febr. a. Chr. 897.

Item similes Alschaschae et Samarcandae cusi anno 285, qui coepit die 27 Januarii a. Chr. 898.

Jamque sequitur noster in Tab. IV. delineatus.

Nummus XV.

I. A. *Non est Deus, nisi*
Deus unus ille,
cui non est socius.

Inscriptio orbicularis ad marginem interior:

بِسْمِ ٱللّٰهِ ضُرِبَ هٰذَا ٱلدِّرْهَمُ بِٱلشَّاشِ سَنَةَ سِتٍّ وَثَمَانِينَ وَمِائَتَيْنِ *In nomine Dei cusa est haec drachma Alschaschae, anno sexto et octogesimo et ducentesimo.* Coepit die 17 Januarii anno Chr. 899.

Inscriptio orbicularis ad marginem exterior:

لِلّٰهِ ٱلْأَمْرُ مِنْ قَبْلُ وَمِنْ بَعْدُ وَيَوْمَئِذٍ يَفْرَحُ ٱلْمُؤْمِنُونَ بِنَصْرِ ٱللّٰهِ *Deo est imperium de praeterito et futuro. Jam laetentur fideles auxilio divino.* Sura XXX: 4, 5.

II. A.

لِلّٰهِ

مُحَمَّدٌ

رَسُولُ ٱللّٰهِ

ٱلْمُعْتَضِدُ بِٱللّٰهِ

إِسْمٰعِيلُ بْنُ أَحْمَدَ

Deo.
Muhammed
legatus Dei.
Almotadhed billah.
Ismail filius Ahmedis.

Nimirum *Deo* potestatem suam debent *Muhammed*, qui *Dei* fuit *legatus*, nec non supremus jam regnans Chalifa *Almotadhed billah*, tandemque *Ismail filius Ahmedis*, qui nummum signari jussit, quique in Transoxana fuit dynasta. Et hi dynastae, qui Chalifas abbasidas agnoscebant, horum quidem Chalifarum nomina nummis suis inscribebant, regnum tamen Deo soli referebant acceptum. Inscriptio ad marginem solita est e Sura IX: 33 desumta.

Similes inter regios plures sunt, cusi eodem anno Alschaschae et Samarcandae.

Nummus XVI.

I. M. 1. بسم الله ضرب هذا الدرهم بالشاش سنة سبع وثمانين ومايتين *In nomine Dei cudi-*

tur haec drachma Alschaschae, anno septimo et ducentesimo. Coepit die 6 Januarii a. Chr. 900. Cetera eadem sunt, quae in proxime praecedente.

Nomen *Ismail* إسماعيل quod vulgo scribitur cum littera elif in medio ante ain, in nostris aliisque nummis sine elif hocce scriptum occurrit.

Similes inter regios sunt, cusi eodem anno Alschaschae et Samarcandae. Unus praeterea nummus Chalifanus eodem anno cusus *Waseti* بواسط solo nomine Chalifae Almotadhed insignitus. Inter meos nummus Saemanicus est, eodem anno cusus in urbe Chorasanae *Meru* بمرو nominibus insignitus Almotadhed billah et Ismail ben Ahmed.

Anno a fuga 287, ut in Annalibus Moslemicis refert Abulfeda, Chorasana potiebatur Ismail filius Ahmedis Samanita, dominus Transoxanae, debellato et capto ejus, qui ad eum fuerat, domino, Omruo vel Amruo, filio Leithi Soffaro, qui a victore Bagdadum missus ad

Almotadhedum, in carcerem fuit abditus, in quo peremtus est anno 289. Sic domiti Soffaridae fama illectus invadebat Chorasanam, praedae, quam vacuam autumabat inhians, Muhammed filius Zaidi Alida, Tabarestanae dominus. Verum acri praelio fusus fugatusque a modo dicto Ismaële Samanita paucis post diebus ab acceptis vulneribus exspirabat.

Auctor *gentis Samanicae* آل سامان fuit, referente Ebn Haukal, strenuus quidam bellator nomine *Baehrâm* بهرام, cujusque gentis potentia vi et armis ad summum evecta est fastigium. Ismaël ille cujus in numis nostris nomen exstat, dominus erat, eodem teste Haukalide, regionum *Chorasanae*, خراسان, *Mawer-en-nahrae* ماوراء النهر sive Transoxanae, *Tabaristanae*, طبرستان, *Gurkanae*, كركان, *Koumeschae*, كومش, *Rejae*, ري, *Cazwinae*, قزوين, *Ebherae*, ابهر et *Rengonae*, رنكان. Nomen gentile derivatum est ab oppido vel castello quodam *Sawan* ساسان in territorio Samarcandae vel Balchae sito.

Nummi nominibus Almotadhed billah et Ismail ben Ahmed insigniti, cusi Samarcandae et Alschaschae anno a fuga 288, qui coepit die 25 Decemb. a. Chr. 900, plures inter regios adsunt. Etiam unus nummus chalifanus, solo nomine signatus Almotadhed billah, hoc anno cusus *Samarrae* بالسر من راي reliquis praeterea similis.

Anno 289, qui coepit die 15 Decemb. a. Chr. 901. nummi cusi Samarcandae et Alschaschae cum nominibus Almotadhed billah et Ismail ben Ahmed, varii etiam adsunt. Unus item inscriptus hoc modo:

I. A.

لله
محمد
رسول الله
المعتضد بالله
اسمعيل بن احمد

Deo.
Muhammed
legatus Dei.

Almotadhed billah.
Ismail ben Ahmed.

M. Inscriptio e Sura IX: 33.

II. A.

لله
محمد
رسول الله
المكتفي بالله
اسمعيل بن احمد

Deo.
Mohammed
legatus Dei.
Almoctafi billah
Ismail ben Ahmed.

M. inscriptio e Sura IX: 33.

Nimirum prior pars symboli, annus et locus monetae atque inscriptio e Sura XXX: 4, 5, huic nummo desunt. Referendus tamen videtur ad annum 289, quum in eo exstet nomen Chalifae Almotadhed billah, hoc anno vita defuncti, itemque nomen filii ac successoris

ejus Almoctafi billah, Chalifae trigesimi octavi, et decimi septimi Abbasidarum.

Nummorum musei regii cusorum anno 290, qui coepit die 4 Decembr. a. Chr. 902, unus est chalifanus, cusus Samarrae solo nomine Almoctafi billah signatus, praeterea reliquis similis. Alii cusi Alschaschae, Samarcandae et Balchae nomina habent Chalifae Almoctafi billah, et Dynastae Ismail ben Ahmed.

Tabula V.

Nummus XVII.

I. A. Symbolum.

M. 1. بسم الله ضرب هذا الدرهم ببلخ سنة احدى وتسعين ومايتين *in nomine Dei cuditur hic dirhem in Balch anno primo et nonage-*

simo et ducentesimo. Coepit die 23 Novembr. a. Chr. 903.

M. 2. Inscriptio e Sura XXX: 4, 5.

II. A. *Deo.*
Mohammed
legatus Dei.
Almoctafi billah.
Ismail ben Ahmed.

M. Inscriptio e Sura IX: 33.

Litterae in hoc numo maxime sunt luxuriantes.

Inter regios nummos hoc anno cusos unus est chalifanus solo nomine Almoctafi billah insignitus; locus monetae mihi est ignotus. Alii cusi Alschaschae et Samarcandae nomen Ismail ben Ahmed nomine Chalifae subditum habent, et praeterea in area antica sub symbolo

ابو الحسن ولي الدولة الوصان

In meo nummo cuso hoc anno Balchae nomen Ahmed ben Ismail sub nomine Almoctafi billah exstat, loco nominis Ismail ben Ahmed.

Inter nummos regios, cusos anno 292, qui coepit die 12 Novembr. a. Chr. 904, unus est Chalifanus cusus Waseti, solo signatus symbolo in areis atque in postica nomine praeterea Almoctafi billah. Alius cusus in urbe Mesopotamiae *Mausil* بموصل habet sub symbolo in area antica ولي الدولة *vicarius imperii*, et sub altera parte symboli in area postica Almoctafi billah. Alii cusi Alschaschae et Samarcandae habent in area postica nomina Almoctafi billah et Ismail ben Ahmed. Alii cusi *Anderabae* اندرابة et *Balchae* بلخ habent sub symbolo in area antica احمد بن محمد بن احمد, et sub symbolo in area postica Almoctafi billah et Ismail ben Ahmed.

Nummi XVIII et XIX.

Cusi sunt Alschaschae anno 293, سنة ثلث وتسعين ومايتين qui coepit die 1 Novembr. a. Chr. 905.

Nummus XX.

Cusus est Samarcandae eodem anno. Habent

hi numi sub symbolo in area postica nomina Almoctafi billah et Ismaïl ben Ahmed, similesque sunt nummis Samanicis vulgaribus, qui tamen varietate typorum inter se differunt Inter meos alius est cusus hoc anno Anderabae, habens sub symbolo in area antica nomen Almoctafi billah et sub symbolo in area postica nomina Ismail ben Ahmed, atque Ahmed. Inter regios plures sunt cusi hoc anno Alschaschae, Samarcandae, Balchae et Anderabae.

Nummi cusi anno 294, qui coepit die 21 Octobr. a. Chr. 906, inter regios plures sunt: alii cusi Anderabae habent sub symbolo in area antica nomen Almoctafi billah, et sub altera symboli parte in area postica nomen Ismail ben Ahmed, et praeterea nomen vel *Ahmed* احمد, vel, ut videtur, *Amin* امين aut *Amir* امير: alius ibidem cusus habet in area antica nomen Almoctafi billah, in area antica Almoctader billah et Ahmed ben Ismail. Inter meos tres sunt cusi hoc anno Alschaschae, cum nominibus in area postica Almoctafi billah et Ismail ben Ahmed. Hoc anno vita defunctus est Ismail ben Ahmed, eique successit

filius suus Ahmed ben Ismail, unde utriusque nomen in anni hujus nummis occurrit. Alius similis inter meos cusus est in urbe Chorasanae *Nisabur* نيسابور. Inter meos unus est Chalifanus, solo nomine Almoctafi billah in area postica inscriptus, cusus in urbe Georgiae *Teflis* تفليس. Qui inter regios cusi sunt Bocharae, Alschaschae et Samarcandae habent in area postica nomina Almoctafi billah et Ismail ben Ahmed.

Inter regios sunt nummi Samanici cusi Anderabae, Alschaschae et Samarcandae anno 295, qui coepit die 11 Octobr. a. Chr. 907. Cusi Anderabae habent nomen Almoctafi billah sub symbolo in area antica et Ahmed ben Ismail in area postica; sed qui cusi sunt Samarcandae et Alschaschae, utrumque nomen habent in area postica, quales et inter meos sunt. Inter regios praeterea est nummus chalifanus, cum solo nomine Almoctafi billah, hoc anno cusus *Bassrae* بصره, quae urbs est in Iraka Babyloniae. Alius nummus regius hoc anno cusus Samarcandae, habet nomina Almoctader billah et Ahmed ben Ismail. Etenim hoc anno

vita excessit Almoctafi billah, in ejusque locum suffectus est frater suus Chalifah trigesimus nonus, et decimus octavus Abbasidarum, *Gjafar Abulfadhl Almoctader billah filius Almotadhedis* المقتدر بالله ابو الفضل جعفر بن المعتضد

Nummi Samanici anno 296, qui coepit die 29 Sept. a. Chr. 908, plures inter regios sunt, cusi Alschaschae Samarcandae et Nisaburae, cum nominibus Almoctader, billah et Ahmed ben Ismail. Inter meos similis est cusus Balchae. Alium cusum hoc anno Alschaschae publicavi in libello, cui titulus: *Quatuor monumenta aenea*, ed. 1802.

Tabula VI.

Nummus XXI.

I. A. Symbolum. M. I. -- ضرب - بالشاش -- سنة سبع وتسعين ومايتين -- *Cusus est Alscha:*

rhae anno 297. Coepit die 19 Sept. a. Chr. 909.

M. 2. Inscriptio e Sura XXX: 4, 5.

II. A. *Deo*

Mohammed

legatus Dei

Almoctader billah

Ahmed ben Ismail.

M. Inscriptio e Sura IX: 33.

Similes sunt inter regios et meos hoc anno cusi Alschaschae et Samarcandae.

Etiam ibidem cusi anno 298, qui coepit die 8. Sept. a. Chr. 910.

Etiam cusi anno 299, qui coepit die 28 Augusti a. Chr. 911. Inter regios unus est cusus Anderabae, qui praeterea in area antica habet nomen ابو نصر; et alii cusi Samarcandae cum nomine نصر in area antica.

Etiam cusi anno 300, qui coepit die 17

Augusti, a. Chr. 912. Unus cusus Anderabae habet in area antica nomen Abu Nassr, in area postica Almoctader billah et Ahmed ben Ismail. Unus cusus Alschaschae habet in area antica nomen Ahmed ben Ismail ben Ahmed, et in area postica Almoctader billah, Ahmed ben Ismail. Alius cusus Alschaschae, itemque alius cusus Samarcandae habent in Area postica Almoctader billah Nassr ben Ahmed. Alius, qui inter meos est, cujusque locus monetae non est detritus, sed penitus omissus, habet in area prima nomen, quod videtur esse الفضل بالله in area postica nomina Almoctader billah et Nassr ben Ahmed.

Nummi cusi Alschaschae et Samarcandae anno 301, qui coepit die 6 Aug. a. Chr. 913, habent in area postica partim Almoctader billah, Ahmed ben Ismail, partim Almoctader billah, Nassr ben Ahmed. Unus cusus Anderabae habet in area antica nomen Almoctader billah et sigla ح; in area postica Ahmed ben Ismail. Alii duo cusi ibidem habent in area antica nomen Almoctader billah; in area postica Ahmed ben Ismail et Alfadhl. Unus cu-

sus Samarcandae habet in area postica nomina Almoctader billah et اسحاق بن احمد *Ishak filius Ahmedis.* Unus inter meos, cusus hoc anno Balchae, habet in area antica Ahmed, in area postica Almoctader billah et Nassr ben Ahmed.

Ad annum 301 refert in annalibus Moslemicis Abulfeda, Chorasanae et transoxanae dominum Ahmedem filium Ismaëlis, a satellitibus occisum esse; successit ei filius ejus *Nassr filius Ahmedis* نصر بن احمد, atque in hujus anni nummis utriusque nomen occurrit.

Nummi cusi Anderabae, Samarcandae et Alschaschae anno 302, qui coepit die 26 Julii a. Chr. 914, habent in area postica nomina Almoctader billah et Nassr ben Ahmed.

Nummus XXII.

I. A. Symbolum. M. I. ضرب بسمرقند سنة ثلث وثلثماية *Cusus est Samarcandae anno 303.* Coepit die 16 Julii a. Chr. 915.

M. 2. Inscriptio e Sura XXX: 4, 5.

II. A. *Deo*

Mohammed

legatus Dei

Almoctader billah

Nassr ben Ahmed.

M. inscriptio e Sura IX: 33.

Nummus XXIII, cusus Alschaschae eodem anno admodum similis est. Similes etiam sunt alii inter regios et meos, eodem anno ibidemque cusi. Alius inter regios, cusus hoc anno Anderabae, habet in area antica sub symbolo nomen Ahmed ben Ismail; in area postica: Almoctader billah, Nassr ben Ahmed, et siglam س.

Nummi cusi Alschaschae et Samarcandae anno 304, qui coepit die 4 Julii a. Chr. 916, habent in area antica nomina Almoctader billah et Nassr ben Ahmed; alius inter regios cusus Anderabae habet praeterea infra symbolum in area antica nomen Ahmed ben Ismail, et

in area postica infra nomina sigillum سن. Unus cusus in Medinet essalam habet sub symbolo in area antica Abul Abbas filius imperatoris fidelium, et in area postica Almoctader billah.

Nummi cusi Alschaschae, Samarcandae et Anderabae anno 305, qui coepit die 23 Junii a. C. 917. similes sunt iis, qui in his urbibus cusi sunt anno 304.

Idem valet de iis, qui cusi sunt anno 306, qui coepit die 13 Junii 918. Est alius quoque inter regios eo anno cusus Marvae, similis iis, qui cusi sunt Samarcandae et Alschaschae. Alius, cusus in Medinet ussalam, similis est illi, qui ibidem cusus est anno 304.

Similes adsunt cusi anno 307, qui coepit die 2 Junii a. C. 919, Samarcandae, Alschaschae et Anderabae, atque in Medinet us Salam; praeterea Balchae et Nisaburae, similes iis, qui cusi sunt Samarcandae et Alschaschae.

Similes cusi anno 308, qui coepit die 22 Maji a. Chr. 920, Samarcandae et Alschaschae. Praeterea nummus Chalifanus cusus *Neisibinae*

بنصيبين in Mesopotamia, cum nomine in area antica Abul Abbas filius imperatoris fidelium, et in area postica Almoctader billah.

Adsunt nummi, cusi Samarcandae et Alschaschae anno 309, qui coepit die 11. Maji a. Chr. 921, similes reliquis, in iis urbibus cusis.

Nummus XXIV.

I. A.

لا اله الا
الله وحده
لا شريك له
ابو العباس بن
امير المومنين

Non est Deus, praeter
Deum unicum,
qui non est socius,
Abulabbas filius
imperatoris fidelium.

M. I. بِسْمِ ٱللّٰهِ ضُرِبَ هٰذَا ٱلدِّرْهَمُ بِالْمُحَمَّدِيَّةِ سَنَةَ عَشَرَ وَثَلٰثِمِاۤئَةٍ *in nomine Dei cusa est haec drachma Mohammediae anno decimo et trecentesimo.* Coepit die 30 April. a. Chr. 922.

M. 2. Inscriptio e Sura XXX: 4, 5.

II. A. لِلّٰهِ

مُحَمَّدٌ

رَسُولُ ٱللّٰهِ

ٱلْمُقْتَدِرُ بِاللّٰهِ

Deo

Muhammed

legatus Dei.

Almoctader billah.

M. inscriptio e Sura IX: 33.

De nomine in area prima, quod antea

mihi in certum erat, jam nullus dubito. Abulabbas filius erat Moctaderi, ejusque successor nomine AlRadhi billah. Sed an nomen in area altera sit الحسان بن فرات, quum *Abulhassan ben Ferat* hoc tempore Vezirius esset et rei monetalis praeses, affirmare vix ausim; facies enim nummi aversa longis vitiata est annis.

Alius nummus, quem meis annumero, hoc anno cusus Samarcandae nihil a ceteris Saemanicis, in hac urbe cusis abludit. Similes sunt inter regios cusi Samarcandae et Alschaschae. Alius inter regios, hoc anno cusus Anderabae, habet in area antica nomen Ahmed, in postica Almoctader billah et Nasser ben Ahmed.

Anno 311, qui coepit die 20. April. a. Chr. 923, nummi cusi sunt Alschaschae et Samarcandae, in regio museo Suecico asservati, similes ceteris jam descriptis.

Etiam anno 312, qui coepit die 8. April. a. Chr. 924.

Etiam anno 313, qui coepit die 28 Mart. a. Chr. 925.

Etiam a. 314, qui coepit die 18. Mart. a. Chr. 926. Praeterea nummus hoc anno cusus *in Teflis* بتفليس cum solo nomine Almoctader billah in area postica.

Nummi cusi Alschaschae, Samarcandae et Balchae anno 315, qui coepit die 7 Mart. a. Chr. 927, in museo regio asservati, habent in area postica, ut reliqui, nomina Almoctader billah et Nassr ben Ahmed.

Similes adsunt, cusi anno 316, qui coepit die 25 Februarii a. Chr. 928.

Etiam a. 317, qui coepit die 13 Febr. a. Chr. 929. Unus praeterea cusus hoc anno Waseti, cum nomine Abulabbas filius imperatoris fidelium in area antica, et Almoctader billah in area postica.

Inter regios nummi sunt, cum nominibus Almoctader billah et Nassr ben Ahmed, cusi

Alschaschae et Samarcandae anno 318, qui coepit die 2 Febr. a. Chr. 930.

Inter meos duo similes sunt, cusi Samarcandae anno 319, qui coepit die 23. Januarii a. Chr. 931.

Inter regios similes sunt cusi Alschaschae et Samarcandae anno 320, qui coepit die 12. Januarii a. Chr. 932. Item alius cusus hoc anno *in Oman* بعمان ut videtur, cum nomine يوسف بن بويه *Jusuf ben buiaeh* in area antica, et Almoctader billah in area postica. Alius hoc anno cusus, sed monetae locus est detritus, habet in area antica sub symbolo Abulabbas filius imperatoris fidelium, et in area postica sub altera symboli parte *Amad Eddaulah* عماد الدولة

Hoc anno occisus fuit Almoctader billah, eique successit Chalifah quadragesimus, et decimus nonus Abbasidarum, eaesi frater, *Muhammed Abulmansor Alkaher billah ben Almotadhed* القاهر بالله ابو المنصور محمد بن المعتضد

Inter nummos regios adsunt, cum nominibus Alkaher billah et Nassr ben Ahmed cusi Alschaschae et Samarcandae anno 321, qui coepit die 32 Decembr. a. Chr. 932. Similes sunt inter meos et unus praeterea cusus hoc anno in Medinet ussalam cum nomine *Abulkasim* ابو القاسم in area antica et Alkaher billah in area postica.

Inter regios sunt cum nominibus Alkaher billah et Nassr ben Ahmed, cusi Balchae et Samarcandae, atque بمعسكر vel بمعدن non addito nomine Alschasch, anno 322, qui coepit die 21 Decembr. a. Chr. 933.

Hoc anno chalifatu exutus fuit Alkaher billah, et usu oculorum privatus per candentem laminam. Successit illi filius Almoctaderi Abulabbas Ahmed *Alradhi billah* الراضي بالله Chalifah quadragesimus primus, et Abbasidarum vigesimus. Sunt ergo in hujus anni nummis Samarcandae cusis etiam nomina Alradi billah et Nassr ben Ahmed.

Bina haec nomina etiam occurrunt in num-

mis cusis Nisaburae, Samarcandae et Alschaschae, anno 323, qui coepit die 10. Decembr. a. Chr. 934.

Similiter in nummis cusis in tribus illis urbibus anno 324, qui coepit die 29 Novembr. a. Chr. 935.

Nummi cusi anno 325, qui coepit die 18. Novembr. a. Chr. 936, nulli sunt neque inter regios neque meos.

Tabula VII.

Nummus XXV.

I. A. *Non est Deus, nisi*
Deus unicus,
cui non est socius.

I. M. بِسْمِ ٱللّٰهِ ضُرِبَ هَذَا ٱلدِّرْهَمُ بِمَدِينَةِ

وَثَلَٰثمِايَةً وَعِشْرِينَ سِتٍّ سَنَةَ ٱلسَّلَامِ *In nomine Dei cuditur hic dirhem in urbe salutis, anno sexto et vicesimo et trecentesimo.* Coepit die 7. Novembr. a. Chr. 937.

M. 2. Inscriptio e Sura XXX: 4, 5.

II. A. *Deo*
Mohammed
legatus
Dei
Alradi billah.

M. Inscriptio e Sura IX: 33.

Inter regios similis est cusus ibidem; item alius similis, cusus hoc anno Bassrae. Inter meos praeterea est unus cusus Alschaschae, cum nominibus Alradi billah et Nassr ben Ahmed. Alius Buidicus aere expressus in particulae posterioris Tab. III. Num. III. hisce inscriptionibus insignis:

I. A. لا اله الا
الله وحده

لا شريك له
علي بن بويه

Non est Deus, nisi
Deus unicum,
cui non est socius
Ali filius Buiae (Buwaiae)

M. 1. بسم الله ضرب هذا الدرهم بشيراز سنة ست وعشرين ثلثمية *In nomine Dei cuditur hic dirhem Schirazae anno sexto et vicesimo et trecentesimo.*

M. 2. لله الامر من قبل ومن بعد ويوميذ يفرح الموٌمنون بنصر الله Sura XXX: 4, 5.

M. 3. باليمن والسعادة والنصر والظفر *cum prosperitate, et felicitate, et auxilio, et victória.*

II. A.   *Deo*
Mohammed
legatus
Dei
Alradi billah.

M. inscriptio e Sura IX: 33.

M. 2. Idem quatuor vocibus constans votum, quod in parte prima.

Inter regios numi sunt cum nominibus Alradi billah et Nassr ben Ahmed, cusi Samarcandae et Alschaschae, anno 327, qui coepit die 28. Octobr. a. Chr. 938.

Inter meos similes est, cusus Alschaschae anno 328, qui coepit die 17 Octobr. a. C. 939.

Inter regios similes sunt, cusi Samarcandae et Alschaschae anno 329, qui coepit die 5. Octobr a. Chr. 940. Alius cusus hoc anno Alschaschae cum solo nomine Alradi billah. Alius cusus Waseti cum nomine Abulfadhl filius imperatoris fidelium in area antica et Alradi billah in area postica.

Hoc anno mortuus est Alradi billah, sub cujus chalifatu, teste Elmacino, *administratio imperii tota fuit penes praefectos ejus, quos ille sorte dirimebat*, وكان اولياه مستندين بامور المملكة وهو يضرب بينهم بسهم

Successit ei frater ejus *Ibrahim Abu Ishak*

Almottaki billah ben Almoctader. المتقي لله ابو اسحق ابرهيم بن المقتدر Chalifah quadragesimus secundus, et vigesimus primus Abbasidarum. Atque nummus est inter regios hoc anno cusus Samarcandae cum nominibus in area postica Almottaki lillah et Nassr ben Ahmed.

Similes sunt cusi Alschaschae et Samarcandae anno 330, qui coeqit die 25 Septembr. a. Chr. 941. Alius cusus eodem anno, Samarcandae cum nomine Ali in area antica, et Almottaki lilla ac Nassr ben Ahmed in area postica. Alii cusi hoc anno in Medinet ussalam et Bassra cum nomine Abu Mansur filius imperatoris fidelium in area antica et Almottaki lillah in area postica.

Inter regios unus est cum nominibus Almottaki lillah et Nassr ben Ahmed, cusus Samarcandae anno 331, qui coepit die 14. Septembr. a. Chr. 942.

Similes cusi Samarcandae anno 332, qui coepit die 3. Septembr. a. Chr. 943. Alius

eodem anno cusus Anderabae, ut videtur, habet in area antica nomen *Nûh* نوح et in postica Almottaki lillah et Nassr ben Ahmed. Alius cusus hoc anno Alschaschae nullum nomen habet in area antica, sed in postica Almottaki lillah et Nuh ben Nassr; qui nempe patri suo successit. Hoc anno etiam cusus est Nummus XXVI. pag. 35, in Collectione nostra 1800 edita, ubi pro *sexto* legi debet *secundo* اثني, et p. 36 pro *Almoti lillah, Almottaki lillah* المتقي لله.

Similis cusus Samarcandae anno 333, qui coepit die 23 Augusti a. Chr. 944. Alius cusus hoc anno Schirazae habet in area antica nomen Ali ben Buiah, et in postica Almottaki lillah.

De Ali filio Buiae vel Buwaihae ejusque fratribus refert Abulfaragjius:

وخلع المستكفي علي معز الدولة (بن بويه) ولقبه ذلك اليوم معز الدولة ولقب اخاه عليا عماد الدولة ولقب اخاه الحسن ركن الدولة وامر ان يضرب القابهم وكناهم علي الدراهم والدنانير

Induit Almostacfi Moezzo'ddaulam (filium Buwaihae) *veste honoraria, eique eodem die cognomen Moezzo'ddaulae indidit; fratremque ipsius Alim cognomen Amado'ddaulae; et Alhasano fratri Rucno'ddaulae; jussitque nummis argenteis et aureis eorum nomina et cognomina imprimi.*

Hoc anno 533 chalifatu, atque insimul utriusque oculi usu, idque candente ferri lamina, privatus fuit Almottaki lillah. Erat, testante Elmacino, *vir bonus, sed potestate omni imperii penitus orbatus. Coeperant enim jam ab initio dignitatis ejus magnates gubernare Chalifam, totumque imperium occupare, ita ut nihil ei relictum fuerit, praeter titulum, et quod nomen ejus imprimeretur in nummis argenteis aureisque, quodque orationes conciperet in suggestis: in singulis enim provinciis reges erant, gubernationem omnem sibi adsumentes.*

كان رجلا صالحا الا انه كان مغلوبا علي امره
من اول دولته استبدا الامرا بتدبير الخليفة
وغلبوا علي الامر كله ولم يبق للخليفة الا
الا سم ونقش اسمه علي الدراهم والدنانير

والدعا علي المنابر وكل اقليم فيه ملك يستند بتدبيره

Successit ei nepos ejus ex fratre *Abdallah Abulcasim Almostacfi billah* المستكفي بالله ابو القاسم عبد الله quadragesimus tertius Chalifah et vigesimus secundus Abbasidarum.

Numus argenteus Chalifae Almostacfio billah, cusus Bagdadi anno fugae 334, qui coepit die 12 Aug. a. Chr. 945, delineatus est in Tab. II. Num. I. partis posterioris, his inscriptionibus insignis:

P. I. in Area.

لَا إِلَهَ إِلَّا ٱللَّهُ

وَحْدَهُ لَا شَرِيكَ لَهُ

أَبُو ٱلْقَاسِمِ

بْنُ أَمِيرِ ٱلْمُؤْمِنِينَ

Non est Deus, nisi Deus

unicus, non est socius illi.

Abu-l-kasim

filius principis fidelium.

In Margine inscriptio interior.

بِسْمِ ٱللَّهِ ضُرِبَ هٰذَا ٱلدِّرْهَمُ بِمَدِينَةِ ٱلسَّلَامِ سَنَةَ
أَرْبَعٍ وَثَلٰثِينَ وَثَلٰثِمَايَةٍ *in nomine Dei cusa est haec drachma in urbe pacis, anno trecentesimo trigesimo quarto.*

Inscriptio exterior e Sura XXX; 4, 5. desumta.

P. II. in Area.

لِلّٰهِ

مُحَمَّدٌ رَسُولُ

ٱللَّهِ صَلَّى ٱللَّهُ

عَلَيْهِ وَسَلَّمَ

إمام الحق

المستكفي بالله

Deo.
Mohammed est legatus
Dei, propitius sit Deus
illi et benedicat!
Antistes justitiae est
Almostacfi billah.

In Margine inscriptio solita e Sura IX: 33, vel LXI: 9. collata Sura XLVIII: 28.

Auctore Elmacino Chalifah iste *se ipsum apellavit Imam* (Principem et Antistitem) *aequitatis, et cudit illud super numis aureis argenteisque;* ولقب المستكفي نفسه امام الحق وضرب ذلك علي الدنانير والدراهم.

Hoc ipso anno 334, qui cœpit die 13 Augusti an. Chr. 945, depositus fuit Almostacfi a *Moazzuddaula filio Buiae*, معز الدولة بن بويه, quem tamen amplissimis ornaverat donis; sumserat ab eo juramentum fidelitatis, magnoque

eum jurejurando obstrinxerat; dignitatis vestem ei induerat, et torquem atque armillas; concesserat ei posteriorem aulae suae partem; dederat ei vexillum, *et monetae nomen ejus impressit* وضرب السكة باسمه Moazzuddaula nihilo tamen minus exitio Chalifae studens ingressus ad eum est terramque coram eo osculatus, positaque ei est sedes, cui insedit. Deinde ingressi duo de regione Dejlem manus suas extenderunt ad Mustacfim, qui, cum putaret illos manum ejus osculari velle, eam illis porrexit. Illi autem de solio السرير eum detraxerunt, et cidarim عمامة *(turbant)* ei de capite sustulerut. Hinc portatus est in aedes Muazzuddaulae, qui in vincula eum conjecit, oculis orbavit, et imperio deposuit; direpta quoque fuit aula imperialis, ita ut nihil in ea relictum fuerit, idque vigesimo secundo mensis Gjumadae posterioris, cum imperium tenuisset Almostacfi annum unum, menses quatuor et dies duos; obiit autem in aula imperiali anno hegjrae 338, qui coepit die 30 Junii A. C. 949.

Quod de titulo امام المستكفى, quem sibi assumsit numisque suis inscribi fecit Almostacfi,

affirmat El-Macinus, id optime e numo nostro stabilitur: est ille igitur insigne monumentum historicum. Indicat autem titulus *Imam*, de Chalifis adhibitus, summam in rebus praesertim sacris auctoritatem dominio saeculari consociatam; erat nempe Chalifa, et est hodieque in regno Mohammedico Sultan, summus simul praeses rerum civilium et sacrarum, atque Chalifae Bagdadenses eo magis cum summo Catholicorum comparari possunt pontifice, quod hunc Arabes *Papam Chalifam Francum*, seu Christianum البابا خليفه الفرنج ipsi appellant *a)*.

Quum imperium Al-Mostacfis non nisi perbreve temporis spatium duraverit verit, fieri non potest, quin numi illius sint rarissimi. Noster hicce repertus est anno 1816, simul cum quibusdam numorum Samanidarum fragmentis, atque uno Nicephori II. Phocae, cum hac inscriptione:

a) Ill. C. M. Fraehnii, *de Numorum Bulgharicorum forte antiquissimo*, *Lib. II. p.* 40. *Casani* 1816, 4:o.

✝ hIC.
ЄhxωA
CRATЄY
bASI
Rω

h. e. ✝ Νικηφορος
εν Χριστω αυτο-
κρατωρ ευσεβης
βασιλευς
Ρωμαιων.

Nicephorus
in Christo mon-
archa augustus
imperator
Romanorum.

In altera parte ab inscriptione Ιησους Χριστος νικα, *Jesus Christus vincit*, superest ✝ ıhsus X. - - Simul reperta est numorum haud exigua copia Hibernicorum, AngloSaxonicorum, cumprimis regis Ethelredi, atque Germanorum.

Omnes in numophylacium regium, meae tum curae demandatum, illati sunt. Invenit numos illos colonus quidam in amne praeterfluente pagum Broby paroeciae Hanningiae orientalis (*ÖsterHanninge*) sita i Sudermanniae territorio Sotholm.

Successor Almostacfis renuntiatus fuit Chalifah quadragesimus quartus, et vigesimus tertius Abbasidarum, *Alfadhl Abulcasim*, *aut ut alii malunt*, *Abulabbas*, *Almoti lillah*, *filius Almoctaderi*, *filii Almutadhedi*, *filii Almuaffici*, *filii Almutewakkeli*,

المطيع لله ابو القاسم وقيل ابو العباس الفضل
بن المقتدر بن المعتضد بن الموفق بن المتوكل

Sed, affirmante in annalibus Moslemicis Abulfeda, praeter nomen principis nihil in Chalifae Almothii potestate erat: adeo tum retro sublapsae fuerant res chalifatus, et tam eviluerat ea dignitas, ut ejus nulla ratio haberetur, nulla esset auctoritas. *Muazzuddaulah*, alii pronuntiant, *Maazzaddaulah filius Buiae* معز الدولة بن بويه tributum imperabat: ejus quaestores

totam rapientes Iracam, nihil relinquebant Chalifae, nisi quantum ipsi forte Muazzuddaulah assignaret, quo necessitatibus ejus aliqua ex parte satisfieret.

Nummus est inter regios, cusus hoc anno Anderabae, cum nominibus Almoti lillah in area prima, et Nasereddaulah abu Ali Buiah, in area altera.

Alius cusus hoc anno Samarcandae habet nomina Almostacfi billah et Nuh ben Nassr. Alius similis habet praetera ع ع sub symbolo in area antica.

Nummus cusus Balchae a. 335, qui coepit die 1. Aug a. Chr. 946, habet sub symbolo in area antica nomen quod videtur esse Mansur; in area postica nomina Almostacfi billah et Nuh ben Nassr. Alius cusus eodem anno Bocharae habet tantum nomina Almostacfi billah et Nuh ben Nassr. Similes cusi sunt hoc anno Alschaschae.

Nummus inter regios cusus Balchae, a. f. 336, qui coepit die 22 Julii a. Chr. 947, ha-

bet sub symbolo in area antica nomen Amadeddaulah Abulhassan, in area postica sub altera symboli parte nomen Almoti lillah. Meus eodem anno cusus Bocharae habet in area postica nomina Almoti lillah, et Nuh ben Nassr; nomen tamen ipsius Chalifae damnosa dies ita laedit, ut sit incertum. In nummo regio hoc anno cuso Bocharae exstant nomina Almostacfi billah et Nuh ben Nassr.

In nummo regio cuso Samarcandae anno 337, qui coepit die 10 Julii a. Chr. 948, exstant in area postica nomina Almostacfi billah et Nuh ben Nassr. Similis cusus ibidem eodem anno habet praeterea sub symbolo in area antica ع ع.

Nummus inter regios cusus in Medinet essalam, anno 338, qui coepit die 30 Junii a. Chr. 949, habet in area prima sub symbolo nomen Moezeddaulah Abulhassan Buiah, in area altera:

Deo

Mohammed legatus Dei

propitius sit Deus ei et benedicat

Almoti lillah
Nassroddaulah
Abu Ali
Buiah.

Nummus inter meos, cusus eodem anno Bocharae, nullum habet Chalifae nomen, sed tantum nomen Nuh ben Nassr in area postica. Alius meus cusus eodem anno, Schirazae, ut videtur, habet sub symbolo in area postica nomina *Almostacfi billah* المستكفي بالله et *Talib filius Ahmedis*, طالب بن احمد. In meo fragmento nummi superest ex aera et loco monetae - - مرا سنة ثمان وثلثين وثلثماية et ex nominibus in area postica - - كفي بالله (*Almostacfi billah*) - - نصر (*Nuh ben Nassr*). Fragmentum elegans est, et nummus hoc anno cusus fuit Bocharae. In nummis regiis cusis hoc anno Samarcandae exstant in area antica bina ajin et in postica nomina Almostacfi billah, et Nuh ben Nassr.

Similes adsunt cusi a. 339, qui coepit die 19 Junii a. Chr. 950, qualem et ipse possideo.

Similes etiam cusi a. f. 340, qui coepit

die 8 Junii a. Chr. 951. Alius inter regios, qualem et ipse possideo, hoc anno cusus Bocharae, habet ad marginem in parte antica hanc inscriptionem orbicularem:

مما امر به الملك المويد ابو محمد نوح بن نصر

ex eo quod praecepit rex fortis Abu Mohammed Nuh filius Nasseris. Inscriptio e Sura XXX: 4, 5 penitus abest. In area postica exstant nomina *Almostacfi billah* et *Nuh ben Nassr.*

Inter regios nummi sunt cusi anno 341, qui coepit die 28 Maji a. Chr. 952; habent nomina Almostacfi billah et Nuh ben Nassr; cusi sunt Samarcandae, Alschaschae, Balchae et Bocharae.

Tales etiam adsunt cusi anno 342, qui coepit die 17 Maji 953. Unus cusus hoc anno habet in area antica sub symbolo: Amadeddaulah Abulhassan Buiah; in area postica sub alia parte symboli: Almoti lillah, et Rocneddaulah Abu Ali Buiah. Nomen loci est detritum.

Anno 343, qui coepit die 6 Maji a. Chr. 954, obiit Princeps (Emir) Chorasanae et Transoxanae Nuh filius Nassri, filii Ahmedi, filii Ismaëlis, Samanita, postquam regnaverat ab anno 331, post quem filius ejus Abdol-Melek regnavit. Et nummus inter regios hoc anno cusus Samarcandae habet sub symbolo in area antica ع ع, atque in area postica nomina Almostacfi billah, et *Abdolmelek ben Nuh* عبد الملك بن نوح

In nummo cuso Bocharae, anno 348, qui coepit die 13 Martii 959, nomen Chalifae est detritum, sed remanet Abdolmelek ben Nuh.

Anno 350, qui coepit die 19 Februarii a. Chr. 961 obiit Chorasanae dominus Abdolmelek ben Nuh equi lapsu humo allisus et confestim exstinctus. Succedebat ipsi quidem frater Manzur; Chorasana tamen ex eo inde tempore seditionibus agitari, et Samanidarum imperium labare coepit; ut in annalibus Moslemicis refert Abulfedha.

In nummo inter regios cuso Samarcandae

anno 358, qui coepit die 24 Novemb. a. Chr. 968 exstant nomina Almoti lillah et Mansur ben Nuh In alio eodem anno cuso, sed monetae locus est detritus, exstant, in area antica *(Rocn)* eddaulah Abulhassan Buiah, in area postica Almoti lillah, Amadeddaulah Abulhassan ben Buiah.

Anno 363, qui coepit die 1 Octobr. a. Chr. 973, abdicavit se a Chalifatu Almoti lillah, et suffectus ipsi fuit filius suus *Abdulkerim Abubecr Altai lillah* الطايع لله ابو بكر عبد الكريم Chalifah quadragesimus quintus et vigesimus quartus Abbasidarum. Anno 366, qui coepit die 29 Aug. a. Chr. 976, obiit Bocharae Mansur ben Nuh, dominus Chorasanae et Transoxanae, cui successit filius Nuh. In meo nummo cuso anno 363, Samarcandae, ut videtur, occurrunt nomina Altai lillah et, ut videtur, Almumen ben Ahmed.

Nummus XXVII.

I. A. *Non est Deus, nisi*
Deus unicus,
cui non est socius.

M. بِسْمِ ٱللَّهِ ضُرِبَ هَذَا ٱلدِّرْهَمُ بِٱلْأَنْدَلُسِ فِي سَنَةِ ثَ وثلثما *In nomine Dei cuditur hic dirhem in Andalusia in anno octogesimo et trecentesimo.* Coepit die 30 Martii a. Chr. 990.

II. A.

ٱلْإِمَامُ هِشَامُ
أَمِيرُ ٱلْمُومِنِينَ
المويد بِٱللَّهِ
عامر

Imam Hescham
princeps fidelium
Almuoied billah
Amer.

M. *Mohammed est legatus Dei, quem misit cum manuductione et religione vera, quo eam extolleret super.* Reliqua consuetae hujus inscriptionis verba absunt penitus.

Hescham vel Hascham II. jam regnabat in Hispania; ejus consiliarius et primarius admi-

nister, quique summam imperii solus tenebat erat Muhammed ebn Abi Amer.

Nummus XXVIII.

I. M. بِسْمِ ٱللّٰهِ ضُرِبَ هٰذَا ٱلدِّرْهَمُ بِمَدِينَةِ
فَاسَ سَنَةَ أَحَدٍ وَثَمَنِينَ وَثَلَثَةٍ *In nomine Dei cuditur hic dirhem in urbe Fes anno trecentesimo octogesimo primo.* Coepit die 19 Mart. a. Chr. 991.

II. M. *Mohammed est legatus Dei, quem misit cum manuductione et religione vera, quo eam extolleret super religiones.*

In ceteris simillimus est proxime praecedenti.

Tabula VIII.

Nummus XXIX.

In adversa facie cernitur caput principis, cum stella juxta posita. Ad marginem scriptus est annus, quo nummus cusus est, nempe سَنَةً ثَمان وَسِتَّمايَةً *annus octavus et sexcentesimus.* Coepit die 14 Junii a. Chr. 1211.

De vera lectione partis posticae non per omnia certus sum, quum edacis vim temporis haudquaquam effugerit nummus noster; quem mihi donavit et ex India orientali transmisit celebris in urbe metropolitana Ceylanensi Jaffnapatnam Medicus Stützer, qui eundemque in regione Babylonis e terra fuisse effossum simul indicavit.

Ad ulteriorem autem enodationem exscribam ea, quae summe venerabilis Adler de simili nummo habet in Museo Cufico Borgiano, quae cuncta forte de nostro quoque nummo valebunt:

"XLII."

"*Nummus aeneus Atabecorum Musulensium, cum figura Imperatoris Romani.*"

"Nomen *Atabec* significat *patrem principis* quod cognomen tertius Selgiucorum Rex Visiro suo *Nedham el mulc* primum dono dedit. Sequenti tempore multi potentes Emiri Imperatorum Selgiucorum hoc titulo usi sunt, seque provinciarum dominos absolutos asseruerunt; eo tamen discrimine, quod tum Chalifae, tum principis Selgiucorum nomen in precibus publicis, quae *cotba* dicuntur, ante nomen ipsorum recitarent, quorum illum antistitem superstitionis, hunc monarcham agnoscebant. Quatuor Atabecorum dynastiae exstiterunt, *Eraci*, vel Syriae, *Adherbigiani*, *Persiae*, et *Laristani*. Prima in varios iterum ramos abiit, *Musulensem*, *Alepinum*, *Arbelensem*, cet. *a)*, ad quorum priorem noster nummus pertinet. Ejusdem aliud exemplum a cel. Barthelemy in dissertatione de nummis Arabicis (num. IX.) publicatum est."

a) Deguignes histoire des Huns. T. I. par. I. p. 254.

"I. Caput diademate coronatum vel Alexandri Severi, vel Gordiani Pii, ut a cel. Barthelemy animadvertitur, in nummo Romano iam exstans, nimirum antequam denuo in Arabum moneta signaretur, addito dein titulo Arabico [بسم الله ضرب] بالموصل سنة ثمان [وستمايه] *In nomine Dei cusus est Musulae anno* 608 (1211). Primas voces, et ultimam e nummo Barthelemyano restitui."

"II. لا اله الا الله محمد رسول الله [لناصر الدين امير المومنين عز الدنيا والدين اتابك مسعود بن الملك العادل ارسلان شاه *Non est Deus, nisi Deus: ejusque legatus est Muhammedes. Defensor fidei, princeps fidelium.* (Cognomen Chalifae Bagdadensis) *Gloria mundi, et religionis, Atabec Massud, filius Regis justi Arslan Schah.*

"Hic titulus in nummo Barthelemyano mancus e nostro restituendus est."

"Ultimae quatuor voces in margine scriptae sunt. Loco الملك العادل legere etiam posses الملك القاهر, quod Regis Massud cog-

nomen erat: sed tunc hae voces ante عن الدنيا inserendae essent"

Nummus XXX.

I. لا اله ا
لا الله
وحده

Non est Deus, nisi Deus unicus,

II. محمد
عبد الله
ورسوله

Muhammed servus Dei et legatus ejus.

Nummus XXXI.

Ejusdem generis est, ac qui describebatur

proxime, easdemque servat inscriptiones; sed non ejusdem est typi, id quod tum ex litterarum, tum magnitudinis et formae dissimilitudine, facile dispicitur. Litterae in binis hisce nummis elegantes maxime sunt, et quales in antiquissimis cuficis nummis comparent.

Appendicis instar ex aureis Muhammedanorum recentioribus nummis, binos, quos in meis adnumero, subjunxi, quorum prior (N. XXXII) inscriptum habet:

In Parte I.

سلطان
محمود خان
عز نصره

Imperator
Mahmud Chan.
Insignis sit victoria ejus.

In Parte II.

وَأَيِّدْ

ضُرِبَ فِي

جَزَايِر

١١٤٤

et valida.

Cusus est (nummus) *in*

Insulis (h. e. Algeriae)

(anno) 1144. Coepit die 24 Junii a. Chr. 1731.

Posterioris (N. XXXIII.) inscriptiones sunt

In Parte I.

مصطفي

عَزَّ نَصْرُهُ ضُرِبَ فِي

اسلامبول

١١٧١

Mustafa

Illustris sit victoria ejus. Cusus est (nummus) *in*

Islambul (Constantinopoli)

1171.

Annus a fuga 1171 coepit die 3. Septembr. a. Chr. 1757.

In Parte II.

سُلْطَانُ ٱلْبَرَّيْنِ

وَخَاقَانُ ٱلْبَحْرَيْنِ

ٱلسُّلْطَانُ ٱبْنُ

ٱلسُّلْطَانِ

Imperator duarum continentium (Asiae et Europae) *et monarcha duorum marium* (mediterranei et Pontus Euxini) *imperator*, *filius imperatoris* (Imperatoribus ortus).

Sultanus seu imperator Turcarum *Mahmud filius Mustafae* محمود بن مصطفي, cujus in priori nummo nomen exstat, regnavit ab anno fugae 1143, qui coepit die 5 Julii a. Chr. 1730, ad an. f. 1168, qui coepit die 6. Octobr. a. Chr. 1754. Imperator *Mustafa III. filius Ahmedis*, مصطفي بن احمد, cujus in po-

steriore nummo nomen exhibetur, regnavit ab anno f. 1171, qui coepit die 3 Sept. a. Chr. 1757, ad ann. f. 1187, qui coepit die 13 Mart. a. Chr. 1773.

Sultan notat in genere *principem* vel *dominum*, a verbo Arabico سلط dominatus est. *Chan* notat diversorium ipsumque diversorii herum, item gubernatorem, principem, dominum. *Chakan* notat imperatorem, monarcham, peculiariter Turcarum, quem Persae vocant *padischahi usmani we tagj-dari tæchti chakani* بادشاه عثماني وتاج دار تخت خاقاني *monarcham Osmanicum et coronatum possessorem solii imperialis*.

Nomen *Islambul*, quo Constantinopolis in nostro aliisque nummis insignitur, effictum est ex voce turcica vel potius Arabica *islam*, quemadmodum orthodoxa Turcarum religio adpellatur, et vocabulo Graeco *πολις*, urbs, ut idem sit atque urbs *islamismi*, seu orthodoxae religionis, cuique sic dictae orthodoxae religioni, qui adhaeret, Arabice vocatur *moslim*, *muslim*,

in plurium numero *muslimuu*, *muslimuna*, unde Muhammedani vulgo audiunt, *musulmani*, Latine diceres *credentes*, nam *muslim* est participium verbi arabici *salama* سلم, quod in quarta arabismi conjugatione significat credere, quodque aethiopica etiam *salama*, hebraica *salam* vel *schalam*, aramicis autem dialectis scribitur *slam* vel *schlam* monosyllabica forma, quae omnium est antiquissima. Ad idem verbum pertinens quoque est nomen *islam*. Effingendi vocabuli *Islambul* occasionem praeterea praebuit, quae vulgatior est urbis Constantinopoleos adpellatio, *Istambul*, quaeque orta creditur ex Graecis vocibus εις την πολιν; Graeci quippe Constantinopolim iter facientes *is tin polin* "in urbem," vulgo dicere traduntur, unde urbi tandem nomen mansisse perhibetur *Istambul.*

Fieri tamen potest, ut nihil aliud sit hoc nomen, nisi contractior eloquendi modus vocabuli *Constantinopolis*, cui orientalium gentium more demtae syllabae sunt, et quemadmodum pro *Hippocrates* Arabes dicunt *Bocrat*, et id genus alia; sic ex *Constantinopolis* contractum

est *Stanpol*, id quod ex genio linguarum orientalium alio modo pronuntiari non potest, quam praeponendo litteram aleph, unde oritur *Istanpol*, quodque ex analogia in *Istambol*, vel *Istambul* necessario sese transformabit. Graecum *staphylinos* Arabes praeponendo aleph transmutarunt in *istoflin*, *istofin*, *istun*; latinum *stomachus* dialecto chaldaeo-talmudica scribitur *istomica*, syriace *estumco*: graecum et latinum *stater*, chaldaice scribitur *isteira*, syriace *estiro*, *estir*, arabice *istar*; latinum *sta*-re et persicum *ista*-den, demtis, quas quaelibet lingua suas habet, terminationibus, unum idemque vocabulum est. Et sic in aliis bene multis.

Anno MDCCCII. libellum edebam Stockholmiae impressum, titulo: *Quatuor Monumenta aenea e terra in Suecia eruta*, cui tres nummos cuficos aere expressos, unum argenteum, duosque aeneos, praetereaque fragmentum nummi argentei, adposui, ista explicatione addita:

Quamquam imagines acerbe et penitus semper oderunt Muhammedani, nummi tamen offenduntur principum Muhammedanorum no-

minibus et titulis, atque insimul imaginibus, insigniti. De causis, cur ita sit, sententiae inter eruditos variant. Est autem ex horum numero aeneus noster nummus, in fronte libelli expressus, quem nuper adquisivimus, nec quantum nobis pro penuria librorum, qua in his oris maxime laboramus, constare potuit, antea editus. Sistit prima ejus facies caput principis, regali fascia sive diademate redimitum, qualia in numismatibus Romanis passim occurrunt. Ad marginem litterae quaedam residuae sunt, quae vero nec locum nec annum, quo nummus cusus fuit, continere videntur. Satis certo apparent litterae سلم ا - - -, quae forte legendae essent: *sallama-l-loho*, "benedicat Deus," si modo illud votum ad id genus nummos pertinere constaret. Conjiceres forte legendum esse سنة, et sic annum fuisse expressum; sed vix placet.

In altera nummi facie legitur:

— — — —

المستنصر با - - -

امير المو - - -

الملك الـ - - -

— — — —

Almostanser b*illah*
Åmir almu*menin*
Almäläk al*âlim*
vel Al*adel*

— — — —

Mostanser Dei gratia,
Princeps fidelium,
Rex sapiens,
vel *justus.*

Vox prima detrita, cujus quaedam adparent vestigia, fuit الامام *alimam*, (Antistes). Ad Almostanser billah, filius Aldaher beamrillah, hic nummus videtur referendus, ideoque cusus intra annos aerae Christianae 1226 et 1242. Fatendum tamen est, quum litterae quaedam in ipso nomine deturpatae sint, non omnem hic abesse ambiguitatem; nam fuisse etiam potuit nomen *Almostacfi* vel *Almostadi*.

Aereus, qui in fine libelli exstat cuficus nummus, consuetas habet inscriptiones, insoli-

to tamen aliquantulum ordine dispositas. In medio alterius ejus ſaciei has exstitisse voces litterae residuae produnt:

محمد
رسول .
الله

Mohammed
legatus
Dei.

Num ad marginem annus monetae, quamquam ob spatii angustiam aliqua tantum ex parte, expressus fuerit, dici non potest, quia detrita jam omnia sunt.

In altera facie legitur in area:

الله
احد الله
الصمد

Deus
unus, Deus
aeternus.

In margine:

(لا اله) الا الله وحده
لا شريك له)

(Non est Deus) *nisi Deus unicus*, *nec est soci*(us illi).

Communicavit mecum hisce diebus Professor Aboensis Porthan duos nummos Sämanidarum, nuper in Finlandia e terra esfossos, simul cum tribus ejusdem generis nummorum fragmentis. In altero horum nummorum monetalis locus exstat *Samarcanda*, et annus fuisse videtur *trecentesimus tertius* (A. C. 915.); in altero autem inscriptines ad marginem et nomina in area ex attritu ita deformata sunt, ut nihil certi extricari possit. Fragmentorum in uno residuum est annus - - *et trecentecimus;* in altero nomen loci, ubi nummus procusus fuit, videtur fuisse *Samarcanda;* in tertio autem nec aera, nec monetalis locus umquam exstitit. Quale igitur jam est aeri adcurate insculptum sistimus hoc fragmentum, quum haudquaquam ex vulgaribus, quin maxime singularis fuerit iste nummus. In area adversae partis supersunt:

الله الا - - *Deus, nisi*
وحده - - *unicus,*
شريك له - - *socius illi.*

In margine, si recte lego:

- - مر من قبل ومن بعد ويومىيذ يفر - - -
- - *de praeterito et de futuro, at hoc tempore laetentur* - - -

Pars aversa habet in area:

لله *Deo.*
محمد *Mohammed*
رسول الله *legatus Dei.*
بالله - - *billah.*

Quaenam nomina hic scripta fuerint ex residuis litteris non nisi admodum haesitanter conjicere possum. Primum videtur fuisse *Al-motadhed billah*, et ultimum, quamquam non plene scriptum, *Ismail ben Ahmed.*

In margine superesse videntur:

محمد رسول الله ارسله بالهدي - - -

Mohammed est legatus Dei, quem misit cum directione – – –

Qui praeterea nummus sistitur Saemanicus, dum haec typis desribenda curabam, mihi transmittebatur ab Amiralio seu rei maritimae Praefecto Joh. Reinh. von Franken, in cujus praedio Hamra, atque ejusdem quidem horto, nummus hicce effossus fuit, quodque jacet praedium in Toernia australi, confine superius nominato Tullinge. Nummi inscriptiones consueti hujus tenoris sunt:

In Area anticae partis:

Non est Deus, nisi
Deus unus ille,
cui non est socius.

In margine interiori:

In nomine Dei cuditur hic derhæm Alschaschae anno ducentesimo nonagesimo sexto (A. Chr. 908)

In margine exteriori:

Deo est imperium de praeterito et de futuro, et hoc tempore laetentur fideles auxilio Dei.

In Area posticae partis:

Deo
Mohammed
Legatus Dei.
Alkaher Dei gratia.
Ahmed filius Ismail.

In margine:

Mohammed est legatus Dei, quem misit cum manuductione et religione vera, quo eam extolleret super religiones omnes, si vel refragarentur ii, qui Deo socium tribuunt.

Similem, sed non eodem anno procusum, nummum descripsimus in *Collectione nummorum cuficorum*, (Tab. VI. p. 29.) quam Stockholmiae MDCCC publicavimus. Et opportunam jam nactis occasionem non silentio hic nobis praetereundum est, quod placuit viro per orbem eruditum celebratissimo, perillustri universitatis Rostochiensis Seniori. Ol. Ger. Tychsen, correctiones quasdam et emendationes in eamdem nummorum collectionem, pro studio suo bonas ornandi litteras proque sua in nos summa benevolentia, nobiscum communicare. His

ne careant harum litterarum amantes et arbitri, si cui forte non numquam tempus voluptasque erit opusculum istud nostrum cognoscendi, compositissimas atque humanitate refertissimas ad nos litteras, quae observationes ejus continent, bona, ut speramus, auctoris venia, totas hic inseremus; nec enim fas habemus easdem publicare nisi integras.

"Illustri atque doctissimo
D:no J. Hallenberg
S. P. D.
Olaus Gerhardus Tychsen."

"Immortales Tibi, vir illustris, ago habeoque gratias ob Tuam numorum cuficorum beneuole transmissam et nudius tertius mihi traditam collationem. Quum nihil sit, ex quo majorem voluptatem percipiam, quam ex inueniendis et e tenebris eruendis, quae in numis et antiquitatibus adhuc occulta iacent vestigiis, facile intelliges verbis me exprimere non posse, quantum gaudii mihi attulerit ista Tua luculenta collectio, quae sive ipsam numorum faciem mira nec unquam visa arte repraesentatam,

sive Tuam eorum explicationem spectem, omnibus numeris absoluta dici meretur. Equidem nihil dubitabo, quin idem mecum laturi sint aequi harum dapium arbitri. Ex animo itaque Tibi et eruditis gratulor, quod ectypa proposueris, quae quum nec archetypis imparia sint, eorumque vicem abunde suppleant, ad praelectiones numismaticas cumprimis sunt accommodata. Utinam incoeptis perstare atque e gazis Regiis eadem elegantia et accuratione aere donatos momentosos omnis generis numos orientales publicis sumtibus, qui nunquam melius poni possunt, euulgare queas, ad quod immortale monumentum exstruendum neminem Te aptiorem esse edita egregia Tua specimina in aprico ponunt."

"Quod ad ipsos numos attinet, omnes quidem segetem uberrimam metendam largiuntur, ii tamen oculos meos praecipue ferierunt, quae (qui) anecdota monetae loca exhibent, quorsum numos VII. XIII. et XXVII. refero."

"In numo VII. urbs monetaria, ut recte conjicis, legi potest ايران *Iran*, sub qua deno-

minatione Persia venit. Quemadmodum metropolis Hispaniae Corduba nomine provinciae الاندلس in numis nominatum fuit, ita quoque eodem iure metropolis Persiae, quae initio اصطخر fuisse videtur, ارّان in numis salutari potuit, donec sede gubernii Isfahanam translata, istius civitatis nomen, quo numus XIII. superbit, electum fuit. In corrigendis praeferre videris ارّاق, cuius oppidi nomen apud geographos arabes frustra quaesiui, pro quo forsan ازّاق Azak hodie Azow substitui posset. Sed haec in fallaci conjectura posita sunt. Vezirii nomen in area B numorum XXVII. et XXIIX. عامر *Amer* legendum esse videtur. Nam teste Alkartas hic Abu Amer dictus Almansor حاجب τευ Hescham Almuaied, et summa apud eum auctoritate fuit, annoque 582. Heschamo de solio deiecto, imperii fasces ipse capessivit. In numi XXIV area A lin. 4. ابو العباس بن legi debere censeo. Est forte adscitum a filio primo-genito praenomen regni cohaeredis. Nam verba بن امير المومنين ad ipsum chalifam referri nequeunt."

"Epigraphae aerae B. numi XXIX. quae varias voces ob spatii angustiam truncatas dijectasque commonstrat, sic legenda ex mea sententia est:

لا اله الا الله . محمد .
الناصر . رسول الله
امير المومنين
الملك العادل عز الدنيا والدين
اتابك مسعود بن
القاهر ارسلان شاه"

"Vox وأيّد numi XXXII. in aureo, qui penes me est, وايده (Introd. p. 184.) exarata est."

"Pag. 51. lin. 8. اثناين mendum typothetae pro إِثْنَتَيْنِ est, et pag. 72 vocabula Kaph et Keph inter se permutata sunt. Has meas levidenses adnotationes Tuae censurae subjicio, sperans fore, vt quae Tua est humanitas, boni consulas."

"Litterae ven. D. Lüdeke suspicionem mi-

hi attulerunt, fasciculum Tuo nomini inscriptum et ejus fasciculo inclusum, quem nautae cuidam mense Septembri superioris anni concredideram, ad manus Lüdekii nostri haud pervenisse. Praeter litteras meas Almakrizii editionem de ponderibus et mensuris arabum complectebatur. In litteris meis egregium Tuum tractatum: Om Mynt &c. under Konung Gustaf I. me accepisse significabam, enixe Te efflagitans, vt ferente occasione notum mihi faceres, num in Regio antiquitatum tabulario astrolabia aliaque monumenta cuficis inscriptionibus praedita, itemque numi phoenicii et prisci hispanici, quos Medallas desconocidas appellant, asseruarentur. In hac mea dubitatione has preces repetam, abs Te praeprimis petiturus, vt si qui numi phoen. et hisp. ibi reconditi iacent, solas eorum dictiones phoenicias et hispanicas transscriptas benevole mecum communices. Equidem in Tentamine de numis incognitis veterum Hispanorum, quod anno superiori vestrae R. Academiae litt. eleg. obtuli, omnes adhuc cognitos recensui; tamen dubium mihi nullum est, quin haud pauci anecdoti in Museis adhuc delitescant."

"Vale Vir amicissime et faue. Rostochii ad d. XVI Julii MDCCCI.

"P. S. Ornatissimam classem Anglicam 31 bellicarum nauium, cui praeerat Nelsonius vir summus, in sinu Warnemündano inde a 24 Maji - 8 Junii constitutam, nouitate rei allectus salutavi. Comitas et affabilitas nauarchorum et nauticorum, qua millenos curiosos convolatos indefessa cura, repudiatis muneribus, excipiebant, verbis exprimi nequit. Talem classem tot strenuis et humanis defensoribus instructam vinci non posse, res jam certa mihi est. Vicecomes Nelson die IV Junii, qui dies natalis Regis Angliae erat, aurei numismatis in memoriam victoriae die 1. Augusti 1798. apud Abukir partae procusi dono super vota me coluit. Quod amplissimum munus ut summam speciem et dignitatem haberet, per tres nauarchos Lord Gaulet, Dixon et Taiknley mihi tradi fecit. Litterae manu propria sinistra scriptae, quibus munus concomitatum esse voluit sequentis tenoris erant:

Lord Nelson Duke of Bronte begs, that Professor Dixon of the University of

Rostock will do him the honor of accepting a Medal struck in commemoration of the Battle of the Nile. May 27:th 1801. Bay of Rostock."

"Gjölandrum nostrum in itinere hispanico mortuum esse grauiter fero. Quum virum optimum omnibus artis nostrae mysteriis pro virili initiassem, omnia summa ab eo exspectabam. Sed spe misere deiectus fui. Oh quam fragiles sunt res humanae! Iterum iterumque vale. Inclusas litteras velim Dn. D. Lüdeke tradas."

Libro, qui numophylacii regii Suecici notitiam praebet (*Berättelse om Svenska Kongliga Mynt-Cabinettet*) anno 1804 edito, gemmam praefigebam, cujus interpretationem tum hallucinabar, jam vero, meliora edoctus, veram expono, quaeque haec est:

آمَنْتُ بِاللّٰهِ رَبِّي
أَللّٰهُ أَللّٰهُ حَسْبِي

Credo in Deum. Dominus meus (est) *Deus. Deus* (est) *sufficientia mea.* (Deus mihi sufficit.)

Si vero ultima vox legitur حَسَبِي sensus erit: *Deus est gloria mea.*

Quum a quo profecerim libens gratusque agnoscere fas habeam, sequentes hic epistolas appono:

"Illustri ac doctissimo
D:no J. Hallenberg
S. P. D.
Olaus Gerhardus Tychsen."

"Accepi ad diem XV. h. m. litteras Tuas die XIV Sept. DCCCII. datas una cum eximio munere Tuorum IV. aeneorum monumen-

torum, pro quibus singulares Tibi agoque habeoque gratias. Nam eorum delineatio et lectio mirifice me recrearunt, praesertim quum museum nostrum academicum tam annulos et armillos spirales, quam vasa futilia et nouaculas, quae Tuis exacte respondent, servet, et erudita Tua commentatio ansam praebeat in hasce Celtarum, qui nostram prouinciam ante Henetarum gentium irruptionem et occupationem incoluisse dicuntur ulterius indagandi remotae aetatis reliquias, quae in tumulis nostris sepulcralibus repertae sunt."

"Numis operi Tuo insertis recensendis supersedere possum; laudanda enim esset Tua sagacitas nemini non cognita, et adulanti propior viderer. Quae in numis detritis eorumque fragmentis apparent vocum et litterarum vestigia, ex meo judicio recte assequutus es. Aereus mutilus in fronte libri nomini Almalec Alsaleh Ismail II:di principis Atabekorum Aleppensium Inscriptus est. Integri numi titulus ita se habet:

A. Circum caput ضرب بحلب احدي وسبعين

B.

الله
المستنصر بالله
امير المومنين
الملك الصالح
اسمعيل

"Fragmenti (p. 56.) lectionem marginalem acu tetigisti. Vix autem crediderim, numum sub Ismail b. Ahmed conflatum esse, quippe cujus numi, ni memoria me fallat, a titulis consuetis haud aberrant, contra vero numi sub finem imperii Nassr b. Ahmed et deinceps cusi haud raro corrumpi depravarique coeperunt. Hinc illud sub Alkaher billah et Nassr b. Ahmed procusum conjectarem, nisi Tua conjecctura meam aetate superaret."

"Dolendum est, quod aereus Ommiadicus p. 71. expressus locum et annum detritum commonstret. Ei parem ipse possideo."

"Quae p. 71. narrasti, eam praesertim ob caussam injucunda mihi fuerunt audire, quod spem alebam fore, ut ex ejus catalogo Elenchum abs me concinnatum plusquam DCC numorum

cuficorum exempla exhibens, locupletarem prius, quam prelo committeretur. Rebus autem sic comparatis nulla spes amplius mihi relicta est. Quum numos CCXXXIIX iuxta Stettinum effossos et in numophylacium Regium Berolini illatos praeterlapsa aestate intra XIV. dierum spatium descripserim, ut ex adjuncto diario nouo menstruo Berolinensi p. 427 &c. videbis, et mercatoris Berolinensis Adleri numerosam et exquisitam collectionem prae oculis habuerim, multa centena anecdotorum numophilis donare potero, modo morosi bibliopolae sumtus impendendos haud reformident. Nuper tres argenteos, omnium quotquot vidi, rarissimos accepi. Duo regnante Almamuno Medinat essalam a. CCVI. et CCXIIX; tertius sub ejus filio Almotasem billah Isbahanae a. CCXXI. cum duabus orbicularibus Adversae inscriptionibus procusi sunt. Almamunum itaque Suram XXX: 4, 5. numis primum insculpi curasse, et Almotasemum omnium primum dictionem بالله nomini suo in numis addidisse ad liquidum nunc perductum est, de quo impense laetor."

"b. Thilemanni responsum ad litteras

meas de numis pheniciis et sic dictis incognitis Hispanicis, de quibus commentationem ill:mae vestrae Academiae offerendam per cursores publicos ad eum miseram, ad manus meas nunquam pervenit."

"Summopere laetor ac Tibi, Academiae mihique gratulor, quod Academia perpetuum Te scribam delegerit. Vale et me amare perge jubeque."

"Roschii ad d. XXIII. Oct. MDCCCIII."

"Adjunctum Macrizii tractatum de legalibus Arabum ponderibus &c. benevole velim accipias."

"P. S. Ven. Tingstadio ad munus episcopi Strengnensis pro merito evecto, in votis cum primis haberem, ut cl. Adiunctus fac. phil. in Acad. Vpsaliensi M. Andr. Svanborg, Tingstadii olim auditor, ejus professionem consequeretur. Ea est Svanborgius doctrinae praesertim orientalis et occidentalis copia, litteraturae orientalis ardore, laborum patientia ac sedulitate, morum venustate et vitae integritate,

ut huic eum muneri dignissimum iudicem. Te itaque flagito, ut data occasione REGI augustissimo et Proceribus eum de meliori commendes. Quo me beneficio ita devincies, ut amplius non possis."

"Illustri J. Hallenberg
S. P. D.
O. G. Tychsen."

"Vix credas, quam me delectauerit Tua Regii numophylacii notitia, qua me beasti, pro quo dono amplissimo maximas Tibi gratias ago. Thesaurus omnino est rariorum et rarissimorum numorum ditissimus, qui vel cum gazis Europae splendidissimis de palma concertare possit. Vtinam sectio de numis cuficis, quibus gaza Regia superbit, tandem in lucem proferatur! Mihi quidem in hac mea senectute, quae ad novitatis aviditatem inclinare solet, nihil optatius et consolabilius contingeret."

"In gemma explicanda omne punctum laturus certe fuisses, nisi litterarum connexarum ultimae in prima linea dictionis ى in errorem Te rapuisset. Nam nisi me animus

fallit, legenda vox est مَرْدِي *dominus meus.* Testes habeo numos Amini annorum 193, 195 et 196 Medinat Essalam conflatos, qui ردى ob oculos ponunt, hac tamen diuersitate, ut in numis 195 et 196 prima littera ad similitudinem litterae ﺓ aut و (quae tamen nunquam cum sequenti connectitur) accedat. Equidem olim ولي legi, sed vereor an recte, si vel quoad sensum unum et idem fere est; nam ردى magis τῷ ذي quam لي respondet, et prima littera in numo 193. Re (ر) clare expressa est. Accedit quod Alamini patruus Alhâdi, teste Elmacino p. 211. lin. 18, sigillo suo الله ربي inscripserit, cujus forte vestigia ingredi voluerit Al-Amin. Hinc totam inscriptionem, quae rhythmica est, sic vertere mallem:

Credo in Deum. Dominus meus — آمَنْتُ بِاللَّهِ مَرْدِي

(est) Deus. Deus (est) sufficientia mea." — أَللّٰهُ أَللّٰهُ حَسْبِي

"Sed ista Tu juste aestimabis. Vale Vir colendissime, meque amare perge."

"Rostochii ad d. XXIV. Oct. MDCCCIV."

"Haec scripseram, quum scriptiuncula mea de successione mariti iudaei in bona defunctae liberis orbae vxoris prelo liberata mihi traditur, quam ne decoro habitu vestiret bibliopegus, navis vetuit solutio. Beneuole velim accipias, et alterum exemplar ill:mae Reg. Academiae cum mea commendatione offeras."

Libello *Dumboms Lefverne*, seu Vita famosi Bardi Stockholmiae 1805 impresso, numum praefixi, haud bene habitum, inscriptionibus ita, ut puto, legendis insignem:

I. A.	لله	*Deo*
	محمد	*Mohammed*
	رسوله	*legatus ejus*
	الله	*Deus*
	ه	*h*

M. محمد رسول الله ارسله بالهدي ودين الحقّ ليظهره علي الدّين *Mohammed est lega-*

tus Dei, quem misit cum manuductione et religione vera, quo eam extolleret super religiones.

II A. لله *Deo*

محمد *Mohammed*

رسول الله *legatus Dei*

المقتدر بالله *Almoctader billah*

ميكايل بن جعفر *Micail filius Gjafari.*

M. محمد رسول الله ارسله بالهدي ودين الحق ليظهره علي الدين كله *Mohammed est legatus Dei, quem misit cum manuductione et religione vera, quo eam extolleret super religiones omnes.*

Carolus Aurivillius in fragmento similis fere numi conjectavit legendum esse nomen *Menkel* aut *Mongal ben Gjafar.* In duobus autem ejusdem generis numis in numophylacio regio Suecico adservatis, et melius affectis, id nominis vel est ميكايل بن جعفر *Micail ben Gjafar* vel etiam ميكليل بن حفص, aut simile quid.

De hoc numo judicium fecit illustris Tychsen in sequenti ad me data epistola:

"Illustri ac doctissimo
D:no J. Hallenberg
S. P. D.
Olaus Gerhardus Tychsen."

"Quam grata mihi acciderit epistola Tua die XX Jan. h. a. mihi tradita, verbis haud facile exprimam. Licet tunc febri pituitosa correptus eram, a qua post trium demum mensium spatium liberatus fui, tamen non sine admiratione et quadam animi voluptate, egregium Tuum numorum cuficorum in Regio numophylacio et penes Te asseruatorum recensum contemplari et per intervalla percurrere potui. Vix autem e grauitate valetudinis leuatus eram, quum uxor mea charissima in morbum incideret, qui ipsi lethalis fuit. Ingens vulnus meum, quod uxoris incomparabilis obitus inflixit, ita ursit ac commouit animum, ut ad omnia seuera negotia diu incompositus essem. Sedato aliquantulum animo, ad consilium in lite iudaica super quaestione: "num testamen-

tum reciprocum iudiciale secundum leges christianorum a Judaeo factum, priora eius pacta rumpat?" sine mora elaborandum et prelo committendum ardentissimis precibus compulsus fui. Quibus impedimentis praecipue factum est, vt ad Te scribere, et pro Tuo de me bene merendi insigni studio debitas Tibi et mirificas gratias agere adhuc distulerim, quod serum meum in referenda gratia responsum ut benevole excuses, si vel excusatio mea misera nec tamen iniusta sit, maximopere Te efflagito."

"Nunc venio ad epistolam Tuam auro mihi cariorem, nec libro imparem. Nihil magis in hac mea solitudine et senecta aetate majorem animo voluptatem afferre potuit, quam abs Te erudiri. Profecto numorum abs Te explicatorum collectio et numerosissima, et in dynastia Samanica omnium locupletissima est. Mihi et numophilis gratulor, ita tulisse fortunam, ut numophylacium Regium Viro rei numariae peritissimo et indefesso, qualem Te suspicit orbis eruditus, concreditum fuerit. In hoc Regio thesauro numorum anecdotorum Om-

miad. et Abbass. 16; Semanid. 122 numerum laetus expiscatur sum. Tua collectio XII. numis mihi adhuc incognitis

a. 162. Medinat Essalam
— 189. Muhammediah
— 190. Macar
— 228. Alschasch
— 308. Anderabe
— 311. Ibid.
— 317. Feraber
— 321. Alschasch
— 326. Schirâz
— 334. Bochara
— 340. Ibid.
— 342. Samarcand,

superbit, quos inter numi annorum 190 Muhammediae et 326 Shirazi conflatorum vel torpentem oculorum meorum aciem non effugerunt."

"Numus 190 in museo R. Berolinensi reconditus, nec non Tuus ex officina بمعكر الشاش prodierunt. Quod nomen معكر cum الشاش conjunctum in numo 218 بمعكر; sine

illo in numis a. 317. musei R. Berolin et 322. mus. R. Holm. semper ذبمعكر scriptum deprehendi. Hinc lectio in Regio Holmiensi anni 190 ذبمعكار et Adleri ذبمعكر cum spatio inter ك et ع vacuo toreutarum erratum confirmare videtur. Palatium forte fuit in suburbio aut campo Alschaschae exstructum. Nomina enim per Mim aucta saepius locum indigitant. Itaque معكر pro loco, ubi quis diversatur, eligere, quam pro epitheto, quod postponi nomini solet, habere mallem.

"Numus Tuus Schirâzi a. 326. procusus numorum phoenix et integrum fragmenti a me possessi et in Tentamine p. 79 descripti exemplar, ideoque mihi exoptatissimum est. Cujus fragmenti ope tertia dictio in utroque margine exteriore نصر . والنصر est, et tota inscriptio, ni fallor, ita audit:

بالثمر والسعدة والنصر والظفر

divitiis, et felicitate et auxilio et victoria. Quae forte inscriptio repetita fuit e numo Herât a. 268. in cujus area utriusque partis quatuor hae dictiones supra et infra titulos occurrunt:

بالثمر	والنصر
لا اله الا الله	المجد والغنم بالله
محمد رسول الله	الحول والقوة بالله
المعتمد علي الله	الوفاء النصرة بالله
والسعادة	والظفر

Nomina civitatum monetalium in numis a. 269 291. 308. 314. et 338. obuia in tabulis Geographicis Ebn Haukal, Abulfedae, Cazwini et Jacuti frustra quaesivi. Variae esse possunt caussae v. c. Toreutarum incuria &c., cur erui nequeant. Quem tab. III. n. X. Collectionis Tuae largitus es numum valde detritum anno 190 conflatum, potius ad annum 170. ablegarem, quo numi voto صلعم et chalifarum Al-Hadi et Harun nominibus ornabantur, nisi in delineatione تسعين clare appareret. Post annum 181. laudatum votum et الخليفة الرشيد in numis sub eius auspicio editis nunquam videre mihi licuit. Rarissimis itaque adscribi meretur."

"Plura nunc addere vetant concatenati labores et mente concepta spes, fore ut accurata Tua Regii numophylacii descriptio Regiis

sumtibus in gratiem numophilorum et in regni splendorem typis exscribatur. Tantum enim abest, ut Elenchi mei edendi detrimentum det, ut potius ei usui sit, quum viderint lectores, quantum fructum ex Tuo labore promtuarium meum numorum cuficorum perceperit. Simplex quidem hoc meum votum est, sed eo ipso sincerius."

"Numus Tuus fronti famosi bardi, pro quo ingenioso libello, per mihi grato perque jucundo in aere Tuo sum, alius commatis est, ac is, quem Aurivillius tab. III. n. 9. repraesentavit, cuique similem Adlerus Berolinensis possidet Samarcandae a. 306 percussum, sub cuius area partis 2 جعفر بن ميكال clare legitur. Nam haec nomina in Tuo numo aegre eruuntur, et duplex marginalis inscriptio a Tuo prorsus abest."

"Optime vale Teque amantem redama."

"Rostochii ad d. XVI Junii MDCCCVI."

"Supra laudatum consilium prima data occasione ad Te mittam."

Beati Tychsenii, cujus memoriam sancte colo, sequentes ad me missas addere etiam placet epistolas:

"Illustri et doctissimo
J. Hallenberg
S. P. D.
Olaus Gerh. Tychsen."

"Binas abs te accepi litteras, quarum altera numorum tuorum cuficorum indicem mihi suppeditasti, altera vero judicium meum super nova tua pallii imperialis explicatione desiderasti. Inter numos tuos argenteos hispan. a. 104. et aereus Barbarossae saliuam mihi mouent, quod a mea collectione absunt, et numorum sitis nunquam expletur. Sed cum numorum amatoribus, ut ipse meo exemplo didici, in commutatum venire numi raro possunt — Venio ad alteram, ex qua non sine jucundo quodam animi sensu pericula tua cufica perspexi. Dubium mihi non est, quin ad liquidum omne perducturus fuisses, si quae, post prima mea tentamina in lucem edita fuerint, euoluere potuisses, quorum potiora clar.

de Murr congesta edidit in libello, cui titulus est: Inscriptio arabica-palli imperial. Norimb. 1790. 4. Quum heic frustra quaesiverim libelli exemplar, non dubitavi meum ab auctore dono mihi datum tibi proprium mittere, quo et tua cum editis aliorum conaminibus contendere, et omnia accurate examinare queas. Prima vox مِمَّا lin 1. est, Arabibus in inscriptionibus usitatissima. Tertia quidem ejusdem lineae varie legi potest حرابة, جرابة, خزانة, خزانة, aut ut tu legis حوراية; sed خزانة *apotheca*, *gazophylacium*, *bibliotheca* &c. ni fallor, palmam habet, quoniam eadem vox in globo coelesti cufico Borgiano, et in astrolabio a cl. de Murr in laudato libello p. 27. descripto occurrit. Quum principes suas apothecas vestium, instrumentorum, librorum rel. habebant, adeo mirum non est, si res sibi inscriptas donoque oblatas, vel jussu pro iis confectas in titulis eorum indicarent. مدينة صقلية esse Panormum p. 146. Introd. jam monui. Olim quum ad pallii titulum explicandum me accingerem, dubius haerebam, utrum Panhormum,

an Messinam Siciliae metropolin salutassent, ideoque tutius ducebam, urbis nomen silere, quam certo aliquid definire. Ad dictionem I. lineae 2. quod attinet, vereor ut المعمّم مُرّة arabismo et rhythmo, quo inscriptio, ut ex opposita pagina adparet, constricta fuit, respondeat. Sed pictoribus — omnia licita sunt. Prima littera vocis 3. lin. 5. ط est, et ultima dictio والاقتتال significatum *occisionis* habet. Ultima littera vocis mediae lineae 6. est غ. Quae sequitur vox, ambigua est. Legi quidem potest الاصابر; sed lexica pluralem اصابر του اصبر silent. Nihil tamen obstat, quin الاصانة *securitas*, melioris defectu legatur, praesertim quum ة in hoc titulo figura valde variet. Sed ipse videbis, quid sit eligendum. Cufica scriptura haud raro nodis aegre soluendis adstricta est. Multorum itaque industria opus est, quae usu suo non excidit. Itaque quae tibi rectiora videntur esse, ex animi sensu aperte pronuntia.

Adjunctam meam de inscriptionibus cuneatis Persepolitanis lucubrationem benigne velim accipias et diiudices. Utrum rectam viam

ingressus, an vero in deuia delapsus sim, me doctiores statuent. Feci quod potui in angulo Germaniae degens, ubi soliloquia habere sorte mihi obvenit. Vale et me amare perge. Rostochio ad d. XVI Aug. MDCCXCVII.

مما عمل بالخزانة
الملكية المعمورة
بالسعد والاجلال
والمجد والكمال
والطُوَل والافضال
والقبول والاقبال
والسماحة والجلال
والفخر والجمال
وبلوغ الامانة والامال
وطيب الايام والليال
بلا زوال ولا انتقال
بالعز والدعاية
والحفظ والحماية
والسعد والسلامة
والنصر والكفاية
بمدينة صقلية
سنة ثمان وعشرين وخمسماية

"Viro illustri ac doctissimo
Dn. Jo. Hallenberg
S. P. D.
Olaus Gerhardus Tychsen."

Non possum non admirari summam Tuam benevolentiam ac liberalitatem, quae omnem meam vicit exspectationem. Et lautissimis decem numorum arabicorum, scil. 2 aereorum Togrulbeci et Barbarossae, semirupiae et 7 asprorum tunetanorum, et disquisitionis dogmatis de resurrectione mortuorum &c. muneribus me affecisti. Utinam mihi contingeret esse tam felici, ut praeter debitam Tibi gratiam et obseruantiam haberem, quod Tibi reddere possem. Donec hac felicitate utar, in aere Tuo me esse libenter profiteor.

Eleganti Tua dissertatione insignes factae sunt ad difficillimi capitis Hiobi XIX. commatum 22 &c. verisimilem interpretationem accessiones. Adeo laetum et copiosum exquisitarum et cum suaui quadam et amabili simplicitate et eruditione conjunctarum observationum proventum reperio, ut haud dubitem, quin justo omnium plausu excipiatur.

Magni mihi est assensus, quo meam lucubrationem comprobas, cui haud leue robur addidit clar. Langlès, qui in diario: Magasin encyclopedique N:o XI. anni 6 (1798) p. 342. &c. ex Hamdallah Geographia Persica نزهة القلوب (deliciae cordium) inscripta, sequentem de Persepoleos et Tschilminariae fatis memoratu dignam transtulit notitiam:

"A l'epoque de la manifestation de l'*Islamisme*, les habitans d' Isthakhar ayant violé les traités et commis une insigne trahison, les Musulmans en firent un grand carnage, et pillerent la ville sous le regne de Ssemssam-ed-Douleh le Daylemite. L'Emir Qatelmich marcha à la tete de son armée contre Isthakhar, la mit à feu et à sang, et la reduisit à un petit village. *En demolissant le palais de Gjemchyd*, on trouva un Toutva de l'Inde, utile pour les yeux. Personne ne sut, comment ni quand ce collyre avoit été deposé la. Maintenant on designe, sous le nom des quarantes colonnes, les vestiges du palais de Gjemchyd."

Quum scriptoribus arabicis res gestas popularium post introductum Islamismum exponentibus merito habenda sit, Istachar et Tschilminar seculo demum decimo p. C. N vastata et diruta fuerunt. Quae quidem relatio in dijudicanda hypothesi mea suo pondere non excidit. Caetera, spero, obscura illustrabit dies.

Vale mihique fauere haud desine.

Rostochio ad d. XIV Apr. MDCCXCIIX."

"Illustri ac doctissimo
D:no J. Hallenberg
S P. D.
Olaus Gerhardus Tychsen."

Gemmam me inuenisse credidi, quum lautissimum Annotationum Tuarum in Apocalypsin S. Johannis donum heri mihi traderetur. Sane nihil gratius largiri potuisses. Nam licet opus Tuum oculo tantum fugitivo perlustrare tempore exclusus potui, tamen ex ungue leonem facile cognovi, certo persvasus, ex eius lectione magnas voluptates et utilitates me percepturum esse. Utinam gratitudinem meam Ti-

bi satis probare possem, quae vero quum verbis exprimi aut simillimo munere remunerari nequeat, in aere Tuo me moriturum esse jubet. Vale Vir colendissime, meque amare perge. Dabam raptim Rostochii ad d. XXVI. Sept. MDCCCII.

Adjuncta opuscula litteraria benevole velim accipias."

"Perillustri Hallenberg
s. p. d.
Olaus Gerhard. Tychsen.

Hospes meus, medicamentarius castrensis Dn. Pehrman civis Holmiensis, jam in eo est, ut cum agmine ultimo reducis exercitus Suiogothici victoriosi et triumphantis in patriam reuertatur. Post septenne litterarum intervallum, quod densorum malorum turba nobis importavit, hanc auide arripio occasionem Tibi testificandi amicitiae, quae mihi Tecum intercedit, intemeratam sanctitatem, Tibique mittendi scripta, quae muneris mei academici per L annos expleti solennia commendant.

Vitae exordia et exitus a summo rerum humanarum Moderatore pendent, quem laeto gratoque animo veneror, quod aetatem meam in ea incidere siverit tempora, quibus crudelissimi tyrannorum, qui unquam fuit, subitus et improvisus casus accidit, nobisque libertas ab ignominiosa et intolerabili servitute restituta fuit.

Inter omne tempus, quo ineptus foederis rhenani protector per suos omnium ordinum vulturios nostram provinciam vexavit, musae nostrae persapienter siluerunt, indigne ferentes lucubrationes suas Lutetiam ad censores luteos prius mittere, quam typis eas exscribendi potestas concessa esset.

Utor quidem octogenarius bona, quae Dei est gratia, corporis mentisque valetudine, nisi quod interdum difficili tempestate oculos et aures hebetiores habeam, quod consvetudine jam animo moderato ferre didici. Contra vero haud modice me tangit, quod novis litterariis alicujus momenti prorsus destitutus sim.

Hinc bona Tua venia diuturnum rumpam silentium unica proposita interrogatiuncula cui solvendae Tu prae caeteris par es.

In additamento meo I. Introd. in r. n. p. 30. §. XI. numorum ab ignicolis sub Arabum clientela existentibus cusorum bilinguium, qui inter numos cuficos ad oras maris balthici, quam late patet, haud raro reperiuntur, mentionem injeci. Scire aueo, num in Tuo, Regio aliorumque numophilorum Sueciae numophylaciis, hujus commatis numi praesto sint, quo casu pergratum mihi feceris, si voces arabicas itemque cifras vel intra aream, vel extra marginem positas mecum communicaveris. Divinatio mea pag. 34. prolata cel. de Sacy sitim meam expleturum esse, falsa fuit.

Vale, qui valere dignus es, meque, ut facis, ama. Rostochio IX. Jul. 1814.

Raritatis caussa scriptiunculam arabicam numos quosdam Semanid. Buid. et Dailemitarum illustrantem, quam auditor olim meus, hodie Professor LL. OO. acad. Casanensis cl. Chr. Dan. Frähn rostochiensis Casani 1808 e-

didit. Memoratu omnino dignum est, quod Auctor tam inter Tataros, quorum ibi plus quam 12000 degunt, quam inter Russos numophilos excitaverit, qui jam ed multa millia numorum orient. corraserunt. Bonum factum. Sic a paruis initiis res numaria or. undique collatis copiis ad insignem magnitudinem crescere poterit. Iterum vale."


Atque haec tamquam cygnea fuit venerandi senis vox et ultima ad me data epistola.

Particulae prioris

Finis.



Tab. I.
Pag. 10.





A
B
V
Æ
a.f. 126.


A
B
VI
Æ
a.f. 148.


A
B
VII
Æ
a.f. 153.


A
B
VIII
Æ
a.f. 162.



Tab. III.
Pag. 18.











A
B
XIII
Æ
a. f. 197


A
B
XIV
Æ
a. f. 197


A
B
XV
Æ
a. f. 286


A
B
XVI
Æ
a. f. 287



Tab. V.
Pag. 28.










Tab. VI.
Pag. 34.



Tab. VII.

Pag. 38.










Tab. VIII.


Pag. 46.



ALPHABETUM CUFICUM

ex his Nummis desumtum






Litt. Final.
Litt. initial.
Dad
Ta
Dtha
Ajin
Gajin
Fe
2 Kaf
1 Keph
Lam
Mim
Nun
He
Var
Je
Lamelif













AR

NUMISMATA ORIENTALIA

aerae expressa,

brevique explanatione enodata,

opera et studio

JONAE HALLENBERG,

Regni Sveciae Historiographi.

Particula Posterior.

Upsaliae, Palmblad & C.,

MDCCCXXII.

Nummos nunc primum a me editos et explitos posterior haec opusculi particula continet.

Tabula I.

Nummus I. Chalifae Walidis, cusus Waseti a. f. 92. a. Chr. 710, a die 28 Octobris.

I. seu antica pars.

1. Area.

لا اله الا	*Non est Deus praeter*
الله وحده	*Deum unicum,*
لا شريك له	*cui non est socius.*

2. Margo.

بسم الله ضرب هذا الدرهم بواسط في سنة اثنتان وتسعين *In nomine Dei cusa est haec drachma Waseti in anno nonagesimo et secundo.*

II. seu postica pars.

1. Area.

الله احد الله
الصمد لم يلد و
لم يولد ولم يكن
له كفوا احد

Deus (est) *unus*, *Deus* (est)
aeternus, *non gignit*, *et*
non generatur, *et non* (est)
ei compar unus.

2. Margo.

Inscriptio e Sura IX; 33. aut LXI: 9, collata Sura XLVIII: 28.

محمد رسول الله ارسله بالهدي ودين الحق
ليظهره علي الدين كله ولو كره المشركون

Mohammed est legatus Dei, qui misit eum cum doctrina et religione vera, quo eam extolleret sup per religiones omnes, si vel refragarentur associantes.

Chalifa Walid e stirpe Ommiah filius Abdolmeleci, cognominatus Abulabbas, regnavit annos novem et dies ducentos triginta sex, et natus erat annos quadraginta octo, auctore

Elmacino, qui de ejus natura et forma haec refert:

وكان طوالا اسمر جميلا افطس بوجهه اثر جدري وكان جبارا ذا سطوة شديدة ولا يتوقف اذا غضب كثير النكاح والطلاق ويقال انه تزوج ثلاث وستين امراة مغرما بالنسا والعمارة

Erat valde procerus, fuscus, pulcher, simus, et in facie varorum habens vestigia. Eratque strenuus, et valde iracundus, neque iratus cohibere se poterat; multus in ducendis et dimittendis uxoribus, ita ut dicatur duxisse sexaginta tres; multa expendens in uxores et aedificia.

Nummus II.

Ejusdem Chalifae Walidis, cusus eodem anno, sed non eodem loco.

I. A. Symbolum ut in proxime praecedenti.

M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بدراجرد في سنة اثنان وتسعين *In nomine Dei cusus est*

haec drachma in Darâgjerd in anno secundo et nonagesimo.

Pars postica easdem habet inscriptiones ac Numus I.

Ibn Haukal recenset *Darabgerd inter territoria et pagos Persiae*

نواحي داراب كرد وكوره دارابجرد

castellis munitis, urbibus et oppidis Persiae annumerat etiam Darabgerd, quod nomen modo scribitur more persico داراب كرد modo more arabico دارابجرد. Mirchond in *Rauzet-es-sæfa* روضة الصفا, sive *horto voluptatis*, ut annales a se conscriptos appellat, nomen scribit *Darugjerd* داروجرد *a)*. In nostro nummo exstat *Darâgjerd* داراجرد; indubium enim mihi videtur id nominis heic legi debere, quamvis nullus in ea urbe procusus nummus huc usque, quod sciam, cognitus sit. Videtur quidem in nummo expressum esse بدرلجرد, lam nempe pro elif; sed forma τȣ elif eadem est in voci-

a) Cfr. *Notices et extraits des manuscrits T. IX. p.* 158, *Paris* 1815. 4:o.

bus hujus nummi aliis, quae in hoc ipso nomine, a forma τȣ lam in hoc nummo manifeste abludens. Quum Mirkondus pro دارابجرد scripsit دروجرد, nempe sine priori elif et sine be, substituta in locum posterioris elif littera alternante wau, vix dubito, quin دراجرد in meo nummo idem sit atque دروجرد littera be studio et rite quidem omissa. Componi enim vero nomen potuit a دارا, rex, aeque ac a proprio nomine Darii داراب, et significat certe urbem regis vel regiam urbem. Posteriorem nempe nominis partem non tam ad persicum کرد opus, et کردن facere, refero, quam potius ad persicum کرد scriptione arabica in جرد deflexum, hoc est, locus circumseptus, et کردن کرد circumdare. Sic داراکرد nec mihi erit *regis opus*, nec داراب کرد *Darii opus*, nec دارا بکرد "dara bekerd," *rex fecit*. Notiones autem sepiendi et circumdandi ad urbes et loca quaelibet habitata significanda traducuntur.

Apud Hydium in historia religionis veterum Persarum Cap. IV: p. 107. lego: "corpus solare vocatur کرد *ghèrd*, i. e. *urbs* vel *vertens*;

item روز گرد *rûz ghird*, i. e. *diei urbs*, seu *diem vertens*, sc. diem seu lucem circumducens." Celebris ille peregrinator Petrus Vallensis, in ipsa urbe Darabgherd constitutus, innuit Persas nominis istius urbis derivationem conjectura augurare non a persico tantum verbo کردن *kerden*, facere, sed etiam a گرديدن *gherdiden*, circumdare: "in lingua persiana Darabghièrd s'interpreta a punto, Dario la circondò, o la fece *a*)." *Gherd* autem a گرديدن locum circumseptum, et sic urbem significat; quemadmodum Arabice كورة est urbs a verbo كور rotundum esse, circumdare; دار *dar*, habitaculum, oppidum, a دار *dara*, circumivit, gyrum fecit.

Nomen urbis Hispaniae *Gadir*, hodie Cadiz, punica lingua significat *sepem*, teste Plinio; et in lingua hebraea גדר significat *sepivit*, unde hebraice *gædær*, arabice *gadir*, *gjædir* جدر sepes, murus, locus muro cinctus i. e. urbs. Sic a verbo כרך circumdare, est Chaldaice *craca*, Syriace *karko*, urbs. Latinum etiam *urbs*

a) *Viaggi di* Pietro della Valle *P. II. p.* 668.

et *orbis* unius ejusdemque certe est originis. In lingua Suiogothica *gård*, quod persico *gherd* facile consonum habebitur, significat sepem, aream, praedium, villam, urbem. Latine *cortes*, inquit Nonius, *sunt villarum intra maceriem spatia;* Suecice *gårdar*, sensu ut litteris idem sunt ac Latine *cortes*. In linguis Slavonicis *grad*, *gorod*, *grod*, *hrad*, *hrod*, est urbs, *ograda*, sepes, *graditi*, *ograditi*, *gorodit*, *ogradit*, sepire, circumsepire, Suecice *gærda*, *omgærda*.

Nummus III.

Explicatus est supra in particula priori ad ann. f. 205. Chr. 820.

Nummus IV.

Explicatus est in particula priori ad ann. f. 228. Chr. 842.

Chalifa Watsecus, quo regnante rarus hic nummus cusus est, ut et Watseci in chalifatu decessores, pater suus Motasemus et patruelis Mamunus crudelitate infames sunt, quam in eos exercebant, qui dogma moslemicum de alcorano non creato tuebantur. Dogma erat:

والقران كلام الله ليس بمخلوق

alcoranus est verbum Dei increatum.

At vero de Mamuno ac Motasemo contrariae sententiae propugnatores sese defensoresque professis, ista ad annum fugae 218. Christi 833. refert Elmacinus:

وفيها امتحن المامون الناس بحلق (scribe) بخلق القران فكلمن لم يقل بخلقه عاقبه اشد عقوبة وكان من الممتنعين من القول بخلق القران الامام احمد بن حنبل رضي الله عنه فحمل اليه مقيدا فمات المامون قبل وصوله فلما مات المامون امتحنه المعتصم وضربه عدة سياط

Reddit Erpenius: *Eodem anno tentavit Almamon populum formulâ Alcorani* (verte creatione alcorani); *gravissime puniens eos, qui eam non proferrent. Inter eos autem, qui id recusabant, erat D. Ahmed f. Habibi* (Hanbel) *f. m. qui compeditus ad eum vectus fuit; sed vita excesserat Almamon antequam ad eum perveniret. Mortuo autem Almamone, tentavit eum Mutasimus; qui multis eum plagis caecidit.*

Deque Watseco ad ann. ٢٣١. Chr. 845.
n die 7 Sept. idem Elmacinus refert:

وكان في اكثر اموره مقتدي فيها المامون
واخذ الناس بالقول بخلق القران وعاقب
من لم يقل بخلقه حتي افسد قلوبهم

In plerisque negotiis suis imitator Almamonis; hominibus quoque proponens creationem Alcorani, et puniens illos, qui eam non proferebant: ita ut animos eorum ipse a se abalienaret.

De hoc ipso negotio chronologus Abu Gjafar Al-Tabari, quem alias sequitur Elmacinus, haec praeterea habet, referente in prodromo alcorani Marraccio: "Watsecus asserebat, alcoranum esse creatum. Qui vero persuasit illi hanc sententiam fuit Ahmed filius Abi Davidis, filii Abdolmaleci, Vezirius ejus. Scripsit autem Watsecus ad omnes provincias, ut cogerent Moslemos ad profitendum alcoranum esse creatum; et ut hoc scriberetur super portas templorum. Sed durum visum est hoc moslemis et grave, et obstinatissime renuerunt illi assentiri. Quicumque autem recusabant edicto parere, vel illud recipere ac

profiteri, partim flagellis caedebantur; partim carceribus mancipabantur, partim occidebantur."

E doctis, qui creationem alcorani admittere noluerunt, fuit etiam *Abu Harun filius Bacae* ابو هرون بن البكى qui confessus quidem est alcoranum positum esse, quum Deus in ipso alcorano introducatur dicens: *nos posuimus alcoranum arabicum*;

انا جعلناه قرانا عربيا

concessit quoque omne positum esse creatum; interim tamen negavit conclusionem, non dico, inquiens, alcoranum creatum, verum positum.

Sed has tales scrupulosas disputationes indeque coortas persecutiones Watseci frater et successor Mutewakkel penitus abrogavit.

Nummus V.

Ejusdem est Chalifae Watseci, cusus in Perside, ann. f. 231. Chr. 845-846, atque in particula opellae hujusce priori ad hunc annum jam explicatus:

Tabula II.

Nummus I.

Cusus Bagdadi ann. f. 334, Chr. 945–946, atque ad hunc annum in part. I. explicatus.

Nummus II.

Cusus Bagdadi a. f. 119. Chr. 834. et ad hunc annum in p. I. explicatus.

Nummus III.

Cusus Bagdadi a. f. 230. Chr. 844–845. explicatus ad hunc annum in p. I.

Nummus IV.

Altera aenei hujus nummuli, quem meis annumero, facies leonem cum sole oriente, sine aliqua inscriptione, altera autem hanc inscriptionem exhibet:

تبريز

فلوس

ضرب

obulus cusus Tebrisi.

Est, ut me docuit illustris Fraehnius, obulus Persicus recentior: *Leo cum sole oriente*, verba Fraehnii sunt in litteris ad me datis, *Persiae insigne est, quod ibi cum in vexillis, in portis urbium &c. tum frequenter in ejus numis aereis cernitur. Etiam in ordinis equestris, nuper a Feth. Ali Schah conditi insigni obtinet.*

Tabula III.

Nummus I.

I. A.

جعفر
لا اله الا
الله وحده
لا شريك له
عبد الله

Gjafar
Non est Deus, nisi
Deus unicus,
cui non est socius.
Abdallah.

M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بالمحمدية سنة تسع وثمانين ومئ *In nomine Dei cusa est haec drachma Mohammediae anno nono et octogesimo et centesimo.* Coepit d. 7. Decembr. a. Chr. 804.

II. A.
ومن الله
محمد رسول الله
مما امر به الامير الامين
محمد بن امير المومنين
لام جعفر

et a Deo
est Mohammed legatus Dei;
ex decreto est emir Alemin
Mohammed filius imperatoris fidelium.
Confoederatus est Gjafar.

M. Inscriptio solita e Sura IX: 33.

Prima vocula, quam ومن legi, non est omnino illaesa; prima et altera littera semicircelli figuram habet, tertia formam τϐ nun finalis exhibet. Quum, teste Elmacino, frater Alamini Almamunus dictus sit Bu (pro Abu) Gjafar Abdallah, arbitrabar aliquando illum in hoc nummo intelligi, ejusque in foedere seu imperio islamitico societatem, vi paterni decreti. Sed aqua mihi haeret, nec mihi ipse satisfacere possum.

Illustris Fraehnius, acutissimus ille scruposorum aenigmatum cuficorum explanator et interpres, ad quem Tabellam hanc aere expressam mittebam, conjecturam meam omnino improbabat. Verba ejus sunt in humanissimis doctissimisque litteris ad me datis: *An* جعفر *legendum sit quod in supremâ A. I. obvium est, subdubitare liceat. Quod in eâdem infimâ occurrit* عُبَيْدُ الله *esse dixeris. In summâ A. II. quod est,* ومن الله *legendum negaverim. Nec characteris Cufici ratio id mihi admittere videtur, nec sane, etiamsi ita legendum esset, cum seq.* محمد رسول الله *conjungi vertique licet: a Deo est Muhammed leg. Dei. Nam* رسول الله *neutiquam in*

hoc symbolo Muh. pro appositione, quam grammatici vocant, habendum, sed cum praemisso مصحف *positionem* (جملة) *conficit. Videsis animadversionem meam ad Erdmanni Schediasma &c. — Porro* لأم جعفر *vertisti: "ei consociatus est Dschâfar." Id pace Tua dixerim, vix ferri poterit. Mallem* لِأُمِّ جَعْفَر *Matri Dschâfari pronuntiare et suspicari aut his verbis indicari, nummum in honorem hujus matronae cusum, aut ea cohaerere cum duobus illis in hac eâdem areâ supremâ obviis in iisque faustam apprecationem latere.* الله لأم جعفر —: *(Propitius sit) Deus matri Dschâfari! Hic autem Dschâfar mihi Barmekides ille est, qui a. H. 287 (187) morte afficiebatur, ejus mater, vel interfecto filio, a Raschido Chalifâ, utpote qui ubere quondam ab ipsa nutritus erat, summo in honore habita est. v. Elmacin p. 117.*

Observo nomen جعفر in summa parte areae I. illaesum esse et indubium. عبد in infima ejusdem areae parte non est omnino illaesum; littera ب in anteriore sui parte vi quadam depressior facta est; vix tamen legi posse videtur عبيد, quamvis id fere suadeat delineatio.

Nummus II.

I. A. لا اله الا
الله وحده
لا شريك له

Non est Deus, nisi
Deus unicus,
cui non est consors.

M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بمعكر (بمعدن) الشاش سنة تسعين ومية *In nomine Dei cusa est haec drachma in Macar* (Madin) *Alschaschae anno centesimo nonagesimo.*

Locum monetae in hoc nummo potius legerem معكر quam معدن. Certe littera finalis magis figuram *τȣ* ر quam *τȣ* ن refert, a figura litterae finalis vocis تسعين, in ipsa hac marginali scriptura obvia, multum abludens.

II. A. علي
محمد رسول الله
مما امر به الامير المامون
عبد الله بن امير المومنين ولي
ولي عهد المسلمين
نصر

Ali

Mohammed est legatus Dei.

Ex mandato est Emir Almamun

Abdallah filius imperatoris fidelium, successor

successoris foederis orthodoxorum.

Nassr.

Vel etiam sensus erit: "hic nummus ex illis est, quos jubente emiro Abdalla Almamuno, filio imperatoris fidelium, successore successoris in imperio islamitico, cudi fecerunt Ali et Nassr."

M. Inscriptio solita e Sura IX: 33.

Nummus III.

Cusus est Schirazae ann. f. 326, et in particula hujus opusculi priore ad hunc annum explicatus.

Nummus IV.

Est nummus persicus regis Solimani filii Abbasi, e dynastia Sophiana, cusus a. f. 1103, qui incepit die 15. Septembr. a. Chr. 1691.

I. A. Symbolum Scütarum:

لا اله الا الله

محمد

رسول الله علي و

لي الله

Non est Deus praeter Deum.

Mohammed.

est legatus Dei, Ali a-

micus Dei.

M. Nomina duodecim Imamorum, nimirum:

علي حسّن حسّين علي محمّد جعفر موسي

علي محمد علي حسّن محمّد

Ali, Hassan, Hossein, Ali, Mohammed, Dsjafar, Musa, Ali, Mohammed, Ali, Hassan, Mohammed.

II. A. شاه ولا

يت

سليمان بنده

ب ١١٠٣

ضرب گنجه

Quae inscriptio in ordinem ita redigi debet:

سليمان بنده شاه ولايت ضرب كنجه ١١٠٣

Soliman servus regis terrarum. Cusus est nummus Kendsjae 1103.

Schütae, الشيعة *es-schiætu* vocatur secta moslemorum, quae partes Alis sequitur; *schej* شيع est assecla. Dicitur etiam *er-rafizæt* الرافضة respuens, quod tres successores Mehammedis Abubekrum, Omarum et Otsmanum repudiet. Persae huic sectae addicti duodecim illos in nummo nostro enumeratos imamos veros Mohammedis successores agnoscunt; et octavus eorum *Ali Ridhá filius Musae* علي ابن موسي الرضا, idem, quem Chalifa Almamunus successorem sibi voluit constituere, est ille rex mundi, in cujus honorem nummus noster cusus est, cujusque se servum vocat Solimanus; Majori eum veneratione, quam ipsum Muhammedem ac divino prope cultu prosequuntur Persae, adeo ut proverbium inter eos natum fuerit:

علي را خدا نميشناسم نورا از خدا نميدانم

Ali rá chudá ne-mischinásem durá ez chudá ne-mî-dánem; "Alim pro Deo non agnosco; sed nec procul eum a Deo esse scio."

Rupiae mogolicae signis zodiaci distinctae.

Inter nummos orientales, quos sub itineribus suis collegit perillustris professor Upsaliensis et commendator regii ordinis Vasaei doct. Carol. Petr. Thunberg, jam in museum regis Sueciae illatos duodecim sunt rupiae aureae signis zodiaci notatae, a monarcha regni mogolici *Schah Selim Nur uddin Muhammed Gishánghir* (Dsjehánghir)

شاه سليم نور الدين محمد جهان كير

procusae.

Forte fortuna accidit, ut inter varios nummos orientales in officinam regiam, quae

Stockholmiae est, monetariam, ut conflarentur perlatos, invenerim atque regio museo intulerim quinque rupias zodiacales argenteas, cum signis arietis, tauri, geminorum, cancri marini et leonis; quatuor ejusdem generis rupias argenteas praeterea acquisivi mihi, cum signis tauri, geminorum, cancri et leonis. Has inter se collatas cum accuratius examinare instituerem, opportune accidit, ut castrorum praefectus russicus generosissimus liber baro a Suctelen duodecim id genus rupias, quas possidet, aureas mihi insuper permiserit examinandas. Quales illas omnes inveni simpliciter nunc edam.

I.

Rupia aurea in museo suecico cum signo Arietis habet in parte antica sequentem inscriptionem; partem autem anticam eam dico, in qua regis nomen expressum est.

شاه *scháh*
اکبر *ækbær*
از جهانگیر شاه *ez gjehánghir scháh*
یافت *jáft*

در اکره روي ۱۶ *der agrah ruj 16*
زر زيور ۱۰۳۰ *zer ziwær 1030.*

Haec inscriptio in ordinem et quidem formam distichi redigi potest hoc modo:

از جهانکير شاه اکبر شاه زر ۱۶
يافت در اکره روي زيور ۱۰۳۰

"ez gjehânghir schâh akbær schah zær 16
jâft der agrah rûj ziwær 1030."

Ex Gjehangiro rege regis Akbæris filio aurum invenit in (urbe) *Agrah formam nitidam* (elegantem typum nummus aureus accepit) *decimo sexto* (anno imperii Gjehanghiri) *millesimo trecesimo* (anno hegjrae). Respondet hic annus hegjrae anno aerae Chr. 1620. a die 15 Novembris. In libro cum titulo: "Disquisitio de nominibus in Lingua Suiogothica Lucis et Visus," P. II. p. 456. paulo aliter; sed non apte, inscriptio ista a me disposita fuit.

Persis familiare est non exprimere voculam بن filius; sic Mirchod in historia Ismaelitarum habet ذکر حسن صباح و نبذي از حالات او "dsikr hasan sabbah we nebdsi ez hâlât å."

historia Hasani (filii) *Sabbah et aliquid de rebus ipsius.* Adscribo observationem illustrissimi Silvestris de Sacy: "Quoique le texte porte حسن صباح *Hasan Sabbah* il faut traduire *Hassan fils de Sabbah*, les Persans étant dans l'usage de sous-entendre tres-souvent le mot بن *fils.* Faut d'avoir fait cette observation, plusieurs savans ont trouvé des difficultés où il n'y en a point, ou corrigé mal-à-propos le texte des auteurs qu'ils publioient. L'auteur d'un commentaire turc sur le Bostan de Saadi, dont j'ai eu occasion de me servir, fait remarquer ce genre d'ellipse, qui est consacré par l'usage *a)*."

In nostro igitur nummo جهانگير شاه اکبر شاه *gjehanghir schah akbær schah* reddendum est "Gjehanghir rex regis Akbæri filius."

Cognomen regis Selimi *gjehanghir* compositum est ex vocibus persicis جهان *gjehan*, *dsjihan*, mundus, et گير *ghir*, participio in compositis contracto pro گيرنده *ghirendeh*, a verbo گرفتن *ghiriſten*, capere, tenere, Svecice

a) *Notices et extraits des manuscrits. T. IX. p.* 143. *Paris* 1813. 4:o.

gripa, ut gjehanghir idem sit ac mundum possidens, mundi expugnator, quem titulum, cum patri suo successisset, Selim assumsit. Regnavit ab anno f. 1014, Chr. 1605, ad a. f. 1037 Chr. 1627, Gustavo Adolpho magno regi Sueciae contemporaneus.

In parte postica aurea haec rupia Solem habet in signo Arietis, sive Arietem et pone eum imaginem Solis, sine aliqua inscriptione. Tab. IV. n. I.

Aureus nummus Suchtelenianus cum signo Arietis similem omnino ac Suecicus hicce inscriptionem habet, cum levi ea tantummodo differentia ut anni alio ordine collocati sint, hoc nimirum:

شاه
اکبر
از جهانگیر شاه
یافت
در آکره روپي ۱۰۳۰
زر زیور ۱۶

Facies aversa cum imaginibus Arietis et

Solis eadem omnino est in utroque nummo Suecico et Suchteleniano.

Nummus in museo Suecico argenteus cum signo Arietis sequentes habct inscriptiones:

Iu parte adversa:

بادشاه	*pádischáh*
١٠٢٧	*1027*
اكبر	*akbær*
جهانكير بادشاه	*gjehanghir padischah*
ضرب	*zuribæ*
احمداباد	*ahmedabád*

quae redigi potest in hunc ordinem:

جهانكير بادشاه اكبر بادشاه ضرب احمداباد ١٠٢٧

Gjehánghir monarcha monarchae Akberi filius. Cusus est (nummus) *Ahmedabadae* (anno) 1027. Coepit die 18 Decembris 1617.

In parte aversa:

Sol in signo Arietis et infra ١٣ سنه جلوس *decimo tertio anno imperii.* Tab. VII. n. I.

II.

Aurea Rupia in museo Suecico cum signo Tauri habet

in parte adversa:

شاه	*schâh*
اکبر	*akbær*
از جهانگیر شاه	*ex gjehanghir schah*
۱۰۲۸	*1028*
سکّه	*sikkah*
اگره داد	*agrah dad*
رغیب	*ræghjib*
زر ۱۴	*zær 14.*

Haec inscriptio in formam distichi redigi potest hoc modo:

از جهانگیر شاه اکبر شاه ۱۰۲۸

سکّه اگره داد رغیب زر ۱۴

ez gjehânghir schâh akbær schâh 1028

sikkah agrah dâd reghibi zær 14.

"Per Dsjehanghirum regem regis Akbæri filium monetam Agrah dedit pretiosi auri millesimo

vicesimo octavo (anno hegirae) decimo quarto (anno imperii)." Annus fugae 1028 coepit d. 8. Decembr. a. Chr. 1618.

Nominis *sikkah*, *sikke* talem in libri de ponderibus capite IX. explicationem affert Makrizius:

سكة بكسر السين الدينار و الدرهم المضروبين
سمي كل منهما سكة لانه طبع بالحديدة
المعلمة ويقال لها السكة وكل مسمار عند
العرب سك

"*sikkah*, cum sin kessrata, qua denarii et drachmae cuduntur, nomen suum utrisque impertitur, propterea quod typus ferreus signatus *sikkah* dicatur, et quaelibet clavus arabice *sikk* audiat."

In parte aversa:

Sol in signo tauri sine inscriptione. Tab. IV. n. 2.

In Rupia aurea Suchtelenii cum signo Tauri eadem omnino inscriptio, idem typus, iidem

anni imperii et fugae, eademque ornamenta monetalia sunt, atque in ejusdem Rupia aurea cum signo Arietis. In parte aversa Sol in signo Tauri, sine inscriptione.

Rupia argentea cum signo Tauri in museo Suecico ita habet:

In parte adversa:

بادشاه

١٠٢٧

اکبر

جهانگیر بادشاه

ضرب احمدآباد

"Dsjehanghir monarcha monarchae Akbæri filius. Cusus est (nummus) Ahmedabadae millesimo vicesimo septimo (anno hegirae)."

In parte aversa:

Sol in signo Tauri, et infra haec inscriptio:

١٣

سنه جلوس

"decimo tertio anno imperii."

Sic inscriptiones paulo aliter collocatae sunt

in nummo argenteo cum signo Arietis, et cum signo Tauri, sed ejusdem praeterea tenoris.

Figura taurina in aureo Suecico caput vertit ad sinistrum latus illi qui nummum inspicit, in Suchtelenico vero ad dextrum; atqui in Suecico argenteo figura bovis est quasi cornupeta caput vertens deorsum. Tab. VII. n. 2.

Mea Rupia argentea cum signo Tauri eodem anno cusa est, quo argentea in museo regio, easdemque habet inscriptiones; sed typus et ornamenta monetalia aliquantum differre videntur. Tab. VIII. n. 1.

III.

Aurea Rupia cum signo Geminorum in museo Suecico similem habet inscriptionem atque aurea Rupia ejusdem musei cum signo Arietis, sed varium typum annosque varios, anni etiam alio modo signantur, hoc nimirum:

شاه

اکبر

از جهانگیر شاه

يافت

در اكره روي ٢٩

زر زيور ١٥

"Per Dsjehanghirum regem filium regis Akbari elegantem typum nummus aureus accepit in urbe Agrah, anno fugae millesimo vicesimo nono, anno imperii decimo quinto." Nempe 29 notat annum fugae 1029, qui est annus aerae vulgaris 1619, a die 27 Novembris ad diem 15 Novembris 1620. 15 in nummo notat annum imperii.

In parte postica:
Sol in signo Geminorum sine inscriptione. Tab. IV. n. 3.

In aurea Rupia Suchtelenii eadem est inscriptio iidemque sunt anni, atque in aureis ejusdem Rupiis cum signis Arietis et Tauri, sed typus et ornamenta monetalia differunt. Pars postica habet Solem in signo Geminorum sine inscriptione; effigies Geminorum eadem est in nummo Suchtelenico, quae in aureo Suecico.

Rupia argentea cum signo Geminorum

in museo Suecico eamdem habet inscriptionem in parte antica, atque binae ejusdem musei Rupiae argenteae cum signis Arietis et Tauri jam descriptae, monetae annus etiam est idem; nulla vero exstat inscriptio in parte postica, nec annus imperii alicubi signatus est. Ipsum Geminorum signum longe aliter effigiatum est in nummo argenteo, quam in aureis. Tab. VII. n. 3.

In mea Rupia argentea cum signo Geminorum *annus 13*, سنه ۱۳ imperii expressus est sub Geminis inter eorum pedes et nummi marginem; sed in Rupia argentea musei regii pedes Geminorum ipsi clevato nummi margini insistunt, nullo inter illum et pedes spatio relicto. Ornamenta etiam monetalia in postica parte aliquantum differunt, et typus nummi regii, quam mei, elegantior est. Tab. VIII. n. 2.

IV.

Aurea Rupia cum signo Cancri in museo Suecico his notatur inscriptionibus:

In parte antica:

شاه

اکبر

از جهانگیر شاه

یافت

در اگره روي ۱۰۲۹

زر زیور

A rege Gjehanghiro regis Akbari filio aureus nummus ornatam faciem accepit (urbe) *Agrah* (anno fugae) *millesimo vicesimo nono.*

In parte postica;

۱۵

سنه

decimo quinto anno,

nempe imperii Gjehanghiri. Tab. IV. n. 4.

Aurea Rupia Suchtelenii cum signo Cancri habet

In parte antica:

شاه

اکبر

از جهانگیر شاه

یافت

در اکره روی ۱۰۲۸
زر زیور

A rege Gjehanghiro regis Akbari filio aureus nummus ornatam faciem accepit in (urbe) *Agrah* (anno fugae) *millesimo vicesimo octavo.*

In parte postica:

۱۴
سنه

decimo quarto anno (imperii.)

Nummus argenteus cum signo Cancri in museo Suecico sequentes habet inscriptiones:

In parte antica:

اکبره
شهنشا
نکیر شاه
جها
را داد زیور اباد
احمد
زر ۱۰۲۷

Voces hasce truncatas et disjectas in ordinem distichi sic reduco:

جهانگیر شاه را اکبر شهنشاه زر
احمداباد داد زیور ۱۰۲۷

gjehánghír scháh rá akbær schæhinscháh zær ahmedabád dád ziwær 1027.

"Gjehanghiro regi filio monarchae Akbari (urbs) Ahmedabad dedit monetam elegantem (ann. f.) 1027."

Quum nummus sit argenteus vocula زر reddi debet non aurum, sed moneta; nam vox illa etiam generatim pro moneta accipitur. Vocula, quam lego را *ra*, et pro nota reputo casus dandi, manifeste est vel را *ra* vel زا *za*. Credi quidem posset hic legi debere از *ez*, ex, a, per, atque transpositas esse litteras; verum typus in hoc et aliis nummis, qui similiter را habent, admodum elegans est et affabre sculptus, ut ejusmodi erroris in illos nummos suspicio vix conveniat.

In parte postica:

Sol in signo Cancri, et infra:

سنه ۱۳

anno decimo tertio (imperii.)

Figura Cancri eadem est in utroque nummo aureo, sed non prorsus eadem in argenteo. Tab VII. n. 4.

Meus nummus argenteus cum signo Cancri eodem anno cusus est, quo ejusdem commatis nummus argenteus in museo regio, eidemque in illa parte, qua exstat cancer, admodum similis, sed in altera parte aliquantum dissimilis et aliis ornamentis insignitus; littera *je* in voce زیور in meo nummo habet puncta diacritica, in regio autem non item. Quae de vocula زر ad nummum adnotavi regium, etiam de eadem vocula in meo nummo valet; est ea indubia; suntque omnes litterae pulcra arte caelatae. Tab. VIII n. 3.

Rupia aurea cum signo Leonis in museo Suecico sequentis est tenoris:

In parte antica:

Effigies Selimi Gjehanghiri pectore tenus, elevata manu poculum tenentis, ante caput haec inscriptio:

سليم جهانكير شاه اكبر شاه

Selim Gjehanghir rex filius Akbari regis.

Pone caput:

سنه شش جلوس

anno sexto imperii.

In parte postica:

Sol in signo Leonis, et infra:

سنه ۱۰۲۰ مصحب مي

anno millesimo et vicesimo, producente vinum.

Annus fugae 1020 respondet anno aerae vulgaris 1611, a die 15 Martii ad diem 22 Februarii 1612.

Quod pro سنه ۱۰۲۰ مصحب مي legeretur سنه ۱۰۲۰ هجري magna quidem dicitur probabilitate, sed ipse nummus talem lectionem manifeste respuit; poculus, quem manu tenet effigies regis annum quoque vitiferum significare videtur. Tab. V. n. 1.

Aurea Rupia Suchtelenii cum figura Leonis ita habet:

In parte antica:

شاه

اکبر

از جهانگیر شاه

یافت

در آگره روی ۱۷

زر زیور ۱۰۳۱

A rege Gjehanghiro regis Akbari filio ornatam faciem nummus aureus accepit in (urbe) *Agrah* (anno imperii) *decimo septimo,* (anno fugae) *millesimo trecesimo primo.* Respondet ille annus fugae anno aerae vulgaris 1621, a die 5 Novembr. ad diem 25 Octobr. 1622.

In parte postica:

Sol in signo Leonis sine aliqua inscriptione.

Nummus argenteus cum signo Leonis in museo Suecico in antica parte eamdem habet inscriptionem, ac nummus in eodem museo argenteus cum signo Cancri, cum aliqua differentia in vocum et litterarum dispositione ac situ. In parte postica inter pedes Leonis haec exstat inscriptio;

١٣

سنه خلوس

decimo tertio anno imperii.

In hoc nummo argenteo, ut et in aureo Suchtelenii figura Leonis stans caput vertit ad dextram, sed in aureo Suecico cubans ad sinistram Tab. VII. n. 5.

Meus nummus argenteus cum signo Leonis in ea parte, qua exstat Leo, similis est argenteo ejusdem commatis nummo in museo regio; sed in altera parte aliquantum dissimilis; litterae *be* in nomine اکبر et *je* in nomine جهانکیر punctis diacriticis insignitae sunt in nummo regio, non vero in meo. Quae de vocula مر ad utrumque nummum argenteum cum signo Cancri, tum regium, tum meum annotavi, etiam valent de utroque nummo argenteo cum signo Leonis, Tab. VIII. n. 4.

VI.

Rupia aurea cum signo Virginis in museo Suecico habet

in parte antica:

شاه

اکبر

از جهانگیر شاه

یافت

در اکره روپی ۱۰۲۸

زر زیور ۱۳

A rege Gjehanghiro regis Akbari filio ornatam aurum formam accepit in (urbe) *Agrah* (anno fugae) *millesimo vicesimo octavo*, (anno imperii) *decimo tertio.*

In parte postica:
Femina alata sine inscriptione. Tab. V. n. 2.

Aurea ejusdem commatis Rupia Suchtelenii habet

in parte antica:

شاه

اکبر

از جهانگیر شاه

یافت

در اکره روپی ۱۰۲۸

زر زیور

A rege Gjehanghiro regis Akbari filio ornatam aurum formam accepit in (urbe) *Agrah* (anno fugae) *millesimo vicesimo octavo.*

In parte postica:

Femina alata cum Sole circum caput, sinistra tenens spicam; ad dextrum latus haec inscriptio

۱۴

سنه

decimo quarto anno, nempe imperii.

Femina alata in nummo Suecico alio et quidem rudiore modo formata est, quam in nummo Suchtelenii, nec Sole circum caput ornata.

In utroque nummo idem est annus fugae, nempe 1028; sed diversus annus imperii, in altero 13, in altero vero 14, quod indicat utrumque nummum eodem quidem anno, sed diverso anni tempore esse cusum.

VII.

Aurea Rupia cum signo Librae in museo Suecico habet

in parte antica: [illegible]

[illegible] شاه

۱۲ [illegible] جهانگیر [illegible]

از جهانگیر شاه

یافت

در آگره روپیه ۱۸

۱۰۳۲ زر زیور

A rege Gjehanghiro regis Akbari filio ornatam aurum formam accepit in (urbe) *Agrah*, (anno imperii) *decimo octavo*, (anno fugae) *millesimo trecesimo secundo.* Coepit d. 25 Octobr. a. Chr. 1622.

In parte postica:

Sol in signo Librae, sine inscriptione. Tab. V. n. 3.

Rupia aurea Suchtelenii cum signo Librae simili insignita est inscriptione, sed anni variant, ornamenta etiam monetalia alia sunt; habet

In parte antica

از جهانگیر شاه
یافت
در اکره روی ۱۶
هجری ۱۰۳۱

A rege Dsjehanghiro regis Akbari filio ornatam aurum formam accepit in (urbe) *Agrah*, (anno imperii) *decimo sexto*, (anno fugae) *millesimo trecesimo primo.*

In parte postica:
Sol in signo Librae, sine inscriptione.

In nummo Suchtelenii cum signo Librae annus fugae 1031, dicitur annus imperii Gjehanghiri 16; sed in nummo Suchtelenii cum signo Leonis idem annus fugae dicitur annus imperii 17; utrumque recte dici potuit respectu habito ad anni tempus, quo cusi nummi sunt.

VIII.

Aurea Rupia in museo Staeciano cum signo scorpionis in parte antica solitam habet inscriptionem, hanc nempe:

شاه

اکبر

از جهانگیر شاه

یافت

در اکره روی ۱۰۳۰

زر زیور

A rege Gjehanghiro regis Akbari filio ornatam accepit in (urbe) *Agrah* (anno fugae) *millesimo tricesimo.*

In parte postica:

Sol in signo Scorpionis sine inscriptione. Annus imperii nusquam in hoc nummo expressus est. Tab. V. n. 4.

Rupia aurea Suchtelenii cum signo Scorpionis habet

In parte antica:

شاه

یاب

نام جهانگیر

مهر

۱ زیور همچو ماه ۱۷

56

لاهور

ز سكّه

۱۰۳۲

شد روي زر

Voces hujus inscriptionis truncatae atque ita dispositae, ut totam nummi aream, prout aptissimum visum fuit, occuparent, in ordinem, et formam quidem distichi redigi possunt hoc modo:

لاهور از نام جهانكير بادشاه ۱۰۳۲

روي زر سكّه زيور شد همچو مهر و ماه ۱۷

lâhûr ez nâmi dsjehânghîr pâdischâh 1032
ruj zær sikkeh ziwer schüd hæmtschû mihr we mâh 17.

"(In urbe) Lahors ex nomine Gjehanghiri monarchae (anno fugae) millesimo trecesimo secundo
forma aureae monetae fulgida facta est instar Solis et Lunae (anno imperii) decimo septimo."

In parte postica:

Sol in signo Scorpionis sine inscriptione. Scor-

plus in nummo Suecico caudam incurvatam vertit ad sinistrum latus; in nummo autem Suchtelenii ad dextrum.

IX.

Aurea Rupia cum signo Sagittarii in museo Suecico habet

in parte antica:

غازي

۱۰۳۲

جهانكير بادشاه

جمير

ا ضرب

Quae inscriptio in ordinem redigi potest hoc modo:

جهانكير بادشاه غازي ضرب اجمير ۱۰۳۲

Dsjehanghir monarcha victoriosus. Cusus est (nummus in urbe) *Adschmir* (anno fugae) *millesimo trecesimo secundo.*

In parte postica:

Sol in signo Sagittarii sine inscriptione. Annus imperii nusquam expressus est. Tab. VI. n. 1.

Aurea Rupia Suchtelenii cum signo Sagittarii habet

In parte antica:

شاه
اکبر
از جهانگیر شاه
یافت
در اگره روي ۱۹
زر زیور ۱۰۳۴

A rege Gjehanghiro, regis Akbari filio, ornatam aurum formam accepit in (urbe) *Agrah*, (anno imperii) *decimo nono*, (anno fugae) *millesimo trecesimo quarto*. Coepit d. 3 Octobr. a. Chr. 1624.

In parte postica:

Sol in signo Sagittarii sine inscriptione.

Typus partis posticae in nummo Suecico valde differt a typo ejusdem partis in nummo Suchtelenii, cum qua figuram et situm ipsius Sagittarii, tum radios solares.

X.

Rupia aurea cum signo Capricorni in museo Suecico habet

in parte antica:

شاه

اکبر

از جهانگیر شاه

یافت

در اکره زوي ۱۸

زر زیور ۱۰۳۲

A rege Gjehanghiro regis Akbari filio ornatam aurum formam accepit in (urbe) *Agrah* (anno imperii) *decimo octavo*, (anno fugae) *millesimo trecesimo secundo.*

In parte postica:

Sol in signo Capricorni sine inscriptione. Eadem inscriptio iidemque anni in hoc nummo sunt, qui in nummo Suecico cum signo Librae, sed typus et ornamenta monetalia multum differunt. Tab. VI. n. 2.

Rupia aurea Suchtelenii cum signo Capri-

corni Rupiae Suecicae cum eodem signo omnino est similis.

XI.

Rupia aurea cum signo Aquarii in museo Suecico eandem habet in parte antica inscriptionem, ac jam descriptus ejusdem musei nummus cum signo Capricorni.

In parte postica figura est hominis sedentis rudi arte deformata. Tab. VI. n. 3.

Rupia aurea Suchtelenii cum signo Aquarii in parte antica eandem habet inscriptionem quam Rupia Suecica cum signo Sagittarii, hanc nempe:

غازي

١٠٣٢

جهانكير بادشاه

جمير

ا ضرب

Gjehanghir monarcha victoriosus. Cusus est (nummus) *Adschmirae* (anno fugae*) millesimo trecesimo secundo.* Typus et ornamenta monetalia ea-

dem etiam sunt, quae in Rupia Suecica cum signo Sagittarii.

Figura virilis stans ex urna, quam amplexu tenet, aquam effundens, sine inscriptione; annus imperii non est expressus. Figura Aquarii in nummo Suchtelenii ab eadem figura nummi Suecici immane quantum differt.

XII.

Aurea Rupia in museo Suecico cum signo Piscium habet in parte prima solitam illam inscriptionem:

شاه
اکبر
از جهانگیر شاه
یافت
در اگره روی ۱۰۲۸
زر فزود ۱۳

A rege Dsjehanghiro, regis Akbari filio, ornatam aurum formam accepit in (urbe) *Agrah*, (anno fugae) *millesimo vicesimo octavo*, (anno imperii) *decimo tertio*.

In parte postica:

Duo pisces transversim positi, sine inscriptione. Tab. VI. n. 4.

Nummus Suchtelenii cum signo piscium est, Suecico[1] ejusdem commatis nummo plane atque omnino similis.

Perspecta insigni nummorum zodiacalium discrepantia, tum qua annos, quibus *cusi sunt*, cum typos et urbes monetales, facile quoque perspicitur vanitas pervagati commenti de regina Selima Gjehanghiri Nur Gjehan Begum, quod illa uno die vel uno anno, quo imperio praefuit, eosdem jusserit procudi. Infirmat etiam et diluit haec talis discrepantia suspicionem de iisdem nummis, quod sint adulterini, cum qui nummos adulterent in tot diversos typos impensas vix fecerint. Reginam tamen Gjehanghiri jure cudendi nummos aliquando gavisam fuisse testatur Anquetillius in Zend Avesta T. I. P. I. p. CCLXVII. coaevum vitae Gjehanghiri scriptorem persicum excitans, et inscriptionem in nummis a regina cusis talem proferens:

Be hokm schah Djehanguir juft sad zewar
Be nam Nourdjehan Padeschah Beigom zar,
quam Anquetilius ita transfert:
Par l'ordre du Roi Djehanguir l'or a acquis cent (degrés d') excellence, en recevant le nom Nourdjehan Beigom, Roi. Est hoc distichum Persicum ita scribendum:

بحکم شاه جهانگیر یافت صد زیور
بنام نور جهان پادشاه بیگم زر

quodque Latine reddi potest: *jussu regis Gjehanghiri accepit aurum* (aureus nummus) *centuplicem ornatum a nomine Nurgjehanae Begum* (reginae(*monarchae.*

An nummus talis quis cognitus sit, et in lucem protractus, me latet.

Tabula IX.

Nummus I.

Est nummus Persicus oblongus, regis Hos-

sein filii Solimani, cusus Isfahani a. f. 1124, qui incepit die 28 Januarii a. Chr. 1712.

In parte antica exstat symbolum Schiitarum:

لا اله الا الله

محمد

رسول الله علي ولي الله

Non est Deus, praeter Deum,
Mohammed
est legatus Dei, Ali amicus vel *vicinus Dei.*

In parte postica:

ه ولايت

شا حسين

۱۱۲۴

بنده صفهان

ضرب

Quae inscriptio in ordinem redigi debet hoc modo:

حسين بنده شاه ولايت

ضرب صفهان ۱۱۲۴

Hossein servus regis terrarum.
Cusus est nummus Sfahani 1124.

Nummus II.

Nummus regis Persarum Thamaspi II. cusus Tebrizii a. f. 1135, qui coepit die 30 Septembr. a. Chr. 1722.

I. A.

لا اله الا الله
محمد
رسول الله علي و
لي الله

Non est Deus, nisi Deus,
Mohammed
est legatus Dei, Ali a-
micus Dei.

Ad marginem sunt nomina duodecim Imamorum.

II. سكه حبغراني
بكيتي صا
سب

زد فيق حق طما نى ثا

از تو

ضر تبريز ١١٣٥

ب

Haec inscriptio in ordinem, et quidem formam distichi, redigi potest hoc modo:

سكّه زد بگيتي صاحب قراني

از توفيق حقّ طماسب ثاني

sikkæh zæd beghiti sahibi kiráni

ez tæwfiki hækk thamasp sáni

"monetam cudit in mundo dominus felicitatis (Augustus)

ex gratia Dei Tamaspus secundus."

ضرب تبريز ١١٣٥

Cusa est (moneta) Tebrizii (anno) 1135."

"سكّه زد, *monetam cudit*," verba sunt illustris Fraehnii, "Persae ajunt, quum principem aliquem provinciam bello captam sibi subjecisse innuere volunt; quoniam victoris mos solemnis esse solet, abolita provinciae occupatae moneta pristina, suam auctoritatem novis uumis si-

gnandis exserere." *De numorum Bulghar. forte antiquissimo Lib. II. p. 121, Casani 1816. 4:o.*

Nummus III.

Nummus regis Persarum Nadiri, cusus Isfahani a. f. 1149, qui coepit die 30 Aprilis a. Chr. 1736.

I. بر زر کرب نام

سكّه

را در جهان نادر

سلطنت

ا خسر کیتی ستا

یرن زمین و و ن

ا ب

۴ ۹

ضر صفها اا ن

ا

Haec inscriptio in ordinem redigi potest hoc modo:

سكّه بر زر کرب نام در جهان

سلطنت را نادر زمین ایران

و خسرو كيتي ستان
ضرب اصفهان ۱۱۴۹

sikkæh ber zær kærd nám der gjihán
sultænæt rá nâdir zæmin irán
u chosrew ghiti sitán
szarbi isfahán 1149.

"Monetae in auro facit nomen in mundo (*celebritatem conciliat per orbem terrarum*)
imperio Nadiri terrae Persiae,
et monarchae mundi expugnatoris.
cusio (*Cusa est*) Isfahani (anno) 1149."

II. الخير فيما قع
مانوس و
ميمنت
تاريخ جلوس
۱۱۴۸

Quam inscriptionem ita in ordinem redigo:

الخير فيما وقع
تاريخ جلوس
ميمنت مانوس ۱۱۴۸

ælchæir fimá wækææ
tárichi dsjulus

mœimanœt manûs 1148

"Optimum est quod accidit.
Aera auspicati imperii
fausti et gloriosi, est 1148."

Est hic gloriosus ille et fama super aethera notus Tamás (*Thamasp*) Kuli-Kan, *Nadir Schah* نادر شاه h. e. *rex incomparabilis*, nominatus, armis inclitissimus, sed crudelitate simul, certe diebus vitae suae supremis, infamis, cujus vitam grandiloquo dicendi genere persico scripsit *Mohammed Mahadi* محمد مهدي Persa, titulo *Tarichi dsjihan kuschai* تاريخ جهان كشاي h. e. *Chronicon mundi expugnatoris*, quodque chronicon e persico in gallicum idioma traduxit et edidit magni in litteratura orientali nominis ille Anglus William Jones.

Nummus IV.

Rupia imperatoris Mogolici Schah Alem II, cusa in urbe Bengaliae principe Murschedabad, a. f. 1188, qui coepit die 13 Martii a. Chr. 1773.

I. د محمد

الله حامي ين
شاه
فضل
شا عالم باد
شاه ه
سكّه
١١٨٨ كشور
زر بر هفت

Quae inscriptio in ordinem redigenda est hoc modo:

سكّه زر بر هفت كشور ١١٨٨ فضل الله حامي
دين محمد شاه عالم بادشاه

Monetam cudit in septem regionibus (anno) *1188 per gratiam Dei protector religionis Mohammedis rex Alem monarcha.*

Similem nummum cl. Moor sic legit et explicuit:

سكه زربر هفت كشور ١٢٠٢ سايه فضل الله
حامي دين محمد شاه عالم بادشاه

Striken in the seven climates 1202. (Chr. 1788) by the shadow of Gods favour, Schah Aalum king, disciple in the faith of Mahomet.

Sed b. Ol. Gerh. Tychsen profitetur se vocem سايه *sub umbra* in iis nummis numquam conspexisse; neque etiam in nostris nummis ea vox conspicitur aut exstat. Quod lectum fuit سايه est certe شاه, supplementum τȣ باد, quod linea superiore occurrit.

Etiam teschdid supra vocem سكّه in nostro nummo expressum est.

II.

مانوس
ميمنت
١٥ جلوس
سنه
ضرب
مرشدآباد

Quae inscriptio in ordinem redacta haec est:

ضرب مرشدآباد سنه ١٥ جلوس ميمنت مانوس

Cusa est (moneta) *Murschedabadae anno decimo quinto auspicati imperii felicis et gloriosi.*

Quum *Timûr lenk* تيمور لنك h. e. Timur claudus, vulgo Tamerlan dictus, superatis re-

gibus regnorum Indiae Kaschmiri, Bengaliae, Decani, Guzurati, Pahori et Paischuri, sex illa regna imperio suo adjunxisset, titulum assumsit *padischahi hæft yklim*, vel *kischwer*

پادشاه هفت اقليم — كشور

Monarcha septem climatum vel *regionum*, quem quoque titulum sibi adsciverunt ejus successores.

Nomen urbis Murschedabad compositum est ex *mursched* مرشد, prospere dirigens, ad viam ducens salutis, et *abad* اباد civitas; haec vox est Persica, illa autem arabica, participium nempe IV. conjugationis verbi رشد recta institit via.

Quod ultimo loco in Tabula IX. sub numero V. delineatum dedi, est sic dictum *Tænsuch*, تنسوخ, ex moscho aliisque odoramentis confectum circuloque aureo circumdatum, qualia super vestimentis portant, et suavem, quem fragrant odorem, in deliciis habent populi Orientis.

Unius lateris inscriptio est:

ما شا الله

quidquid voluerit Deus, fiat voluntas Dei.

Alterius lateris

لا قوّة الا بالله

Nulla potestas est, nisi a Deo.

Tabula X.

Nummi in hac Tabula delineati Graecis imperatoribus Basilio II. ejusque fratri Constantino XI. competunt. In parte antica exstat:

ЄhΤΟΥΤωΝΙCΑΤbΑSΙLЄΙCCωhSΤ

Protomae binae Basilii et Constantini media inter has elegante cruce.

Inscriptio ista hujus tenoris est:

ΕΝ.ΤΟΥΤΩι.ΝΙΚΑΤε,ΒΑΣΙΛΕΙος.ΚΕ. (ΚΑΙ) ΚΩΝΣΤαντινος.

In hac, nempe cruce, *vincite Basilius et Constantinus.*

In Area postica scriptum est:

† bASIL.
CCωnSTAh
ΠΟRFVRΟΓ
ΠISTVbAS
RωmAIω

ΒΑΣΙΚειος. Και ΚΩΝΣΤΑΝτινος. ΠΟΡΦΥΡΟΓεννητος. ΠΙΣΤΥ (in aliis ΠΙΣΤΟΙ) ΒΑΣιλεις ΡΩΜΑΙΩν. *Basilius et Constantinus Porphyrogenitus fideles imperatores Romanorum.*

Josephus Eckhel in Catalogo Musei Caesarei Vindobonensis numorum veterum (P. II. p. 551. 552 Tab. II. n. 7. et 8.) binos id genus nummos aere expressos dedit, cum hac explicatione:

I. "† bASILIOS. CE. CONSTANTIN. PISTV. bASILIS. ROMEON. Sine typo."

"IhSuS. XRISTuS NICA. Crux gradibus insistens, infra globus."

II. "EN TOYTω nICAT bASILEICCONST Capita bina Basilii et Constantini intermedia eleganti cruce gradibus insistente.

† bASIL, CCωnSTAn, ΠORFYROG, ΠISTV, bAS, RωMAIω, in area numi.

"Voces singulae ambiguae hujus epigraphes sic videntur explendae et separandae: EN. TOΥΤω. NIKATε. BAΣIΛEIος. C (pro CE. ut in variis aliis, quod pro KAI) CωNΣΤαντινος."

"In aversa: BAΣIΛειος. Cε. CωNSTANTτινος, ΠOPFΥROΓεννητος. ΠIΣΙVς. (pro ΠIΣΤOΣ) BAΣιλεις. RωMAIων. Haec fusius exponenda fuere, quia Frölichius in Cimel. Vindob. pag. XLVI. hunc numum tribuit Constantino Porphyrog. ejusque filio Romano jun. inductus primum nomine *Porphyrogeniti*, deinde quod in antica legit BASILEIC. Reges, quod contra sensum est, quia unicus tantum sequitur CωNSTANtinus, et το C in hoc numo nunquam ponitur pro S. sed pro K. ut et ex praecedentibus numis abunde colligitur. In aversa prima vox BASIL. rursum non notat *βασιλεα regem*, nam haec vox nomen imperatoris non praecedit, sed sequitur, et jam habetur infra in BAS. RωMAIωN. Ergo indubitato notatur *Basilius*, et huic fratrique Constantino eripi nequit. Quod sententiam meam magis firmat, est, quod idem Constantinus jam in uno ex praecedentibus dicitur ΠIISTV, quam vocem Frölichius, in hoc

de quo agimus, nummo, non intellexit. Singularis hic est numus, qui docet Constantinum hunc jam dictum esse Porphyrogenitum, quae vox ante Joannem Comnenum in numis non comparet, neque alias editus, praeterquam in Cimelio Vindob. sed, ut vidimus, vitiose." Hactenus Eckhelius.

Verum non legendum est "ΠΙΣΤVς (pro ΠΙΣΤΟΣ);" sed ΠΙΣΤΥ, idque pro ΠΙΣΤΟΙ; littera V in his nummis est pro Υ, quod clare patet ex vocibus EN. TOVTω et ΠORFVROΓ. Neo-Graeci Υ et OI eodem modo pronuntiant, nempe ut I: "ι, υ, ει, οι, ἰσοδυναμεντὰ ἐστιν" (*Epistola ad calcem Metaphras. Novi Test.* Maximi Calliupolitae.) Et inde ea confusio in istis nummis ortum habet, ut modo positum sit ΠΙΣΤΥ, modo ΠΙΣΤΟΙ tamquam *ισοδυναμεντα*. Nostri, qui jam publicantur nummi, accurate delineati, utramque lectionem exhibent. Simili ratione nomen Parcae inverse scriptum occurrit NHϤΥΜ pro MOIΡHN (Millin, *Galerie mythologique*, *T. I. p 51. Paris 1811. 8:o.*)

Basilius Romani II. et Theophanonis filius

imperator a patre appellatus, eam dignitatem a Nicephoro quoque Phoca et Johanne Zimisce retinuit, huicque mortuo, anno 975, successit. Imperium a bello civili exorsus est, quod tamen feliciter composuit. Bellum cum rege Bulgarorum Samuele gessit, in quo quindecim mille Bulgarorum mililes capti sunt, quos excaecari jussit Basilius remisitque ad Samuelem, uno monoculo singulis centuriis praeeunte; quo acerbo miseroque spectaculo perterrefactus paulo post mortuus est Samuel. Bulgaria tandem in provinciam redacta moritur Basilius anno 1025; postquam annos omnino quinquaginta imperio praefuerat; princeps bello strenuus, sed avaritiae et graecae calliditatis insimulatus.

Constantinus XI. alter Romani et Theophanonis filius, Basilii II. frater et in imperio collega, fratre mortuo solus regnavit ad annum, quo vita excessit, 1028.

Appellatione βασιλέως Graeci historici *imperatorem* Orientis significant, *reges* appellant ῥῆγας; Romanis tantum Persisque imperantibus titulo insigniunt βασιλέων, ipsum Occiden-

tis imperatorem vocant ῥῆγα Ἀλαμανίας, regem *Germaniae*.

Πιςος Βασιλευς Ῥαμαιων, *fidelis Imperator Romanorum*, titulus est, qui imperatoris respicit fidei confessionem, quam propria manu scriptam coronandus vel recens coronatus imperator hoc modo tradidit:

Ὁ δεῖνα ἐν Χριςῷ τῷ Θεῷ πιςὸς Βασιλεὺς καὶ αὐτοκράτωρ Ῥωμαίων, οἰκείᾳ χειρὶ προέταξα· οὕτω μὲν ὁ (ςεφανωθεὶς) τῆς ἑαυτοῦ προτάσσων ὁμολογίας γράφει· ἂν δὲ υἱὸς αὐτῷ ᾖ, εἰ μὲν ἐνδίδωσιν ὁ πατὴρ, γράφει καὶ αὐτὸς προτάσσων οὕτως, ἤτοι αὐτοκράτωρ Ῥωμαίων· εἰ δὲ οὐ πιςὸς ἐν Χριςῷ τῷ Θεῷ Βασιλεὺς Ῥωμαίων ὁ δεῖνα.

"*Ego N. in Christo Deo nostro fidelis imperator et monarcha Romanorum, propria manu haec praemisi ac praescripsi.* Sic quidem jam coronandus (coronatus) imperator fidei suae confessionem praescribens auspicatur. Si vero filium habeat, praefigit et ipse confessioni suae illud: *imperator Romanorum*, si pater concesserit; sin minus, istud solummodo praefigit: *fidelis in Christo Deo nostro Romanorum imperator N.* (Codinus Curopalata, *de officiis Constantinop. Cap. 7.*)

Titulus Πεϱφυϱογέννητος, *Porphyrogenitus*, ortum habet a palatio Constantinopolitano, augustarum puerperiis destinato, cui nomen erat *Porphyra*: ποϱφύϱαν τοῦτο ἀνέκαθεν ὀνομάζουσιν, ἐξ οὗ καὶ τῶν Ποϱφυϱογεννήτων ὄνομα εἰς τὴν οἰκουμένην διέδϱαμε, *Purpuram illud ab antiquis temporibus nominant; unde etiam porphyrogennetarum appellatio in mundum manavit.* Verba sunt Annae Comnenae, quae ipsum praeterea palatium sic describit: ἡ δὲ ποϱφύϱα οἴκημά τι ἐστὶ κατὰ τὰ ἀνάκτοϱα ἐξ αὐτῆς τῆς βάσεως μέχϱι τῆς ὀϱόφου κινήσεως διὰ τετϱαγώνου συμπληϱούμενον σχήματος, ἐκεῖθεν δὲ εἰς πυϱαμίδα ἀποτελευτῶν· ἀφοϱῶν μὲν ὡς πϱὸς θάλατταν πϱὸς τὸν λιμένα οὗπεϱ οἱ πέτϱινοι βόες καὶ οἱ λεοντες· διὰ μαϱμάϱων δὲ τό, τε ἔδαφος κατέστϱωτο, καὶ οἱ τοῖχοι πεϱιστέλλοντο, οὐ τῶν τυχόντων, οὐδὲ τῶν ἄλλων ὁπόσοι εὐποϱιστότεϱοι τῶν τιμωτέϱων λίθων εἰσὶν ἀλλ' ἐξ ὧν ἀπὸ Ῥώμης οἱ ἀνέκαθεν βασιλεῖς ἐπεσύϱαντο. Ἔστι δὲ οὗτος ὁ λίθος ὅλως εἰπεῖν, ποϱφυϱοῦς δι' ὅλου, καὶ οἷον στίγματά τινα ψαμμοειδῆ λευκὰ αὐτῷ πεϱιτϱέχουσιν. Ἐκ τούτων τῶν λίθων οἶμαι ποϱφύϱαν τὸ οἴκημα, οἱ ἀνέκαθεν ὠνόμασαν. Quod redditum est Latine:

"Est autem purpura aedificium quoddam intra septa imperialis palatii ab ipsa basi usque ad tecti suggrundia, quadrata constructum forma: hinc in pyramidem desinens. Prospectum habet mare versus, in eum portum in quo lapidea visuntur boum et leonum simulacra. Sola exhedrarum constrata marmore: parietes crustarum ex eodem lapide tectorio renident, marmor porro istud non e vulgari genere, aut modicis parabile sumtibus. Verum ejusmodi quod propter eximiam excellentiam priores imperatores quando sedem imperii Byzantium transtulerunt deportare huc usque a Roma vetere tanti duxerint. Est is lapis purpureus fere totus: nisi quod punctulis arenosa tenuitate passim inspersis candicat: meaque sententia est a colore horum lapidum aulam istam Purpuram a priscis dictam." (*Alexid. L. 6 et 7.*)

Luitprandus L. I. c. 2. *Porphyrogenitum*, inquit, *non in purpura, sed in domo, quae Porphyra dicitur, natum apello. Et quoniam res processit in medium, quod de hujus Porphyrogeniti genesi audivimus, proferamus. Constantinus imperator Augustus, ex cujus nomine Constantinopolis est sortita vocabulum civitas, domum istam aedifi-*

sari jussit, cui Porphyra nomen imposuit, voluitque successuram nobilitatis suae sobolem istic in lucem prodire, quatenus qui suo ex stemmate nascerentur, luculenta hac appellatione Porphyrogeniti appellarentur.

Zonaras autem in Constantino Duca, Porphyrogenitos dictos censet, quod patre imperatore et purpura imperiali convestito, nati essent: *imperium*, inquit, *reliquit tribus filiis suis, quos sustulit ex Eugenia conjuge sua; Michaelem quidem et Andronicum, quando adhuc privatam vitam ducebat; Constantinum vero, cum jam imperaret, ipsaque etiam Eugenia ad Augustae honorem evecta. Hinc iste solus erat Porphyrogenitus, quem statim etiam ante alios imperatoriis insignibus exornavit* (Vid. Jac. Gretseri *Observatt. in Georg. Codinum. L. 3. C. 17.*)

Desiderabam quidem plura cum mea qualicumque explicatione vulgare numismata, quae in regio thesauro Suecico asservantur; sed quum meae facultates, quae tenues sunt, id haud permittant, fit jam opellae finis.

Additamentum.

Postquam prelo commissum totumque fere jam impressum opusculum hoc nostrum erat, allatae ad nos sunt litterae perillustris C. M. Fraehnii, S. Maj. Imp. Russ. a Collegiorum Consiliis et Ord. St. Annae Equitis cl. II. Academiae Imp. scient. Sodalis, Musei Asiatici Directoris, Bibliothecae Acad. Praefecti primarii, Biblioth. Imp. publ. Bibliothecarii honorarii *rel.* Has autem litteras politissimas, doctissimasque, quum nummis nostris ulterius illustrandis inserviant, integras hic apponere placet; quamquam nimis ampla nobis, quos sola decet modestia, attribuunt praeconia.

Vir illustrissime, doctissime.

Mirum sane est, quam fama mendax miseres mortales nonnunquam ludere gaudeat! et his quidem maxime temporibus paucos illos, qui Musis OO. litant. Non diu est, cum Hammerum Vindobonensem, virum celeberrimum, fato perfunctum nuntiaret. At non eum, sed

cognominem quendam in oppido Austriaco nescio quo mors e medio sustulerat. Mox ipse Hammerus apud me deplorare Hartmanni Professoris Rostochiensis interitum, dum hic vigebat vivitque; mortuus erat alius aliquis Rostochiensis ejusdem cum Hartmanno Prof. nominis. Denique aestate anni praeteriti Te ipsum, vir illustrissime, morte nobis ereptum in ephemeridibus nescio quibus legebam. Verbis exprimere non possum, quam me ille afflixerit nuncius. Vixdum in Tui favoris et amicitiae sinum receptus, eo me excidisse videbam; vixdum litterarum ultro citroque missarum usu Tecum junctus, et fausta omnia nostro communi Antiquitatis Arabicae studio inde nasci laetus, vincla meae Tecum conjunctionis rupta, nunquam postea readunanda, dolebam. Eoque majorem dolorem sustinebam, quod recentes tenebam litteras Tuas ad me d. 15 April. 1820 datas (8 quidem Jun. mihi redditas) testes et benevolentiae in me Tuae singularis et eximiae doctrinae Tuae testes certissimos et locupletissimos.

Sic integer fere annus lugenti mihi optimi

fautoris interitum abiit, nec (quod miror) exstitit, qui errorem, quo tenebar, demeret, nisi nuper admodum amicus aliquis Fenno, qui Te aurâ aethereâ adhuc vesci, certo mihi asseveraret. Erant quidem, quae ut huic nuncio ab initio parum fiderem faciebant, interque ea diuturnum et altum, quod et Tibi et de Te erat, silentium. Sed iterum iterumque amico nuncii veritatem confirmanti fidem habere amplius non dubitavi. Tunc ego exsultare prae laetitiâ, nec me tenere, quin e vestigio Te quasi redivivum salutem Tibique declarem incredibile, quo perfusus sum gaudio, Te adhuc salvum et incolumem vitam et spiritum ducere. Faxit Deus O. M. ut in Nestoreos annos valeas vigeasque.

Fidem igitur amici sequutus, jam nihil prius habui, quam ut ad dictas litteras Tuas, quas eheu extremas abs Te datas credebam, responsum darem diu male intermissum. Dicere non possum, quam illae mihi gratae acciderint, quam acceptae variae et gravissimae, quas continent, notitiae. Gratus fateor, me inde haud parum fructus pro caussâ meâ per-

cepisse. Tecum communicandi, si quid mihi secus ac Tibi visum fuerit, mihi fecisti potestatem. Aequi bonique igitur consule haec paucula; quae mihi legenti Numorum Cuficorum Novae Collectioni destinatam doctissimam Tuam interpretationem in mentem venere.

Ad Novae Coll. Tab. I. N:o 2. Jam olim, nisi fallor, notavi, orthographiam دراجرد, etiam in Aijeen Akberi et apud Mirchondem obviam esse; quamquam mirari subit, eam nec Jakuto nec Abulfedae innotuisse videri, apud quem utrumque non nisi دارابجرد vel درابجرد invenitur. Sed nescio quomodo a me impetrare non possum, ut tertiam litteram hujus nominis in Numo Tuo pro ا habeam. ا etsi in basi vocabuli haud raro cum littera proxime sequenti coaluerit, superiori tamen litterae alicujus parte id, quantum memini, nunquam accidit. Itaque pro ب *b* habere etiam nunc mallem; quae littera commode eo, quo in numo factum est, loco litterae sequenti adjungitur, et tam erectâ figurâ exarata et alibi nobis offertur. Inspice e. c. Rosarii Gregorii Rerum Sicularum Collect. p. 166 in extremo epitaphii

vocabulo أبي بكر; quid? quod in in ipso Tabularum Abulfedæarum Codice pervetusto hoc nomen, quod nunc cum maxime agitur, exaratum est sic: دارالحجر, ita ut ad speciem litterae *l* accedat. Si autem nomen Darii non, ut vulgo in libris solet, هاراب vel هراب exaratum, sed in درب correptum hic deprehendimus, ejus caussam a more Cufico matres lectionis passim elidendi petendum existimaverim Cf. الدينر, ثمنين, مئه, قيرون (pro قيروان) aliaque id genus in Numis et Codd. Cuf. Korani apud Adlerum.

Ad T. I. N. 3. Si Numus hic vere المعتصم cum *m* in fine exhibet, lego et ipse quidem خمس وماينين, statuens tamen excidisse وعشرين. Exstant et aliis in Numis id genus sphalmata non pauca. Sed quoniam, quod Tibi خمس legendum visum est, potius ثمنين transscribendum esse puto, tu vide quæso, lateatne forte ن in litterâ illâ finali nominis Chalifae, ita ut hic Numus sit Chalifae المعتضد qui sane a. 280 numos cudit *a*).

a) Nummo accuratius examinato ultima littera

Pro N. I. Tab. III. ectypo gypseo, quod mihi petenti largitus es, gratias quam maximas Tibi ago, quamquam opem, quam ab eo exspectabam, mihi non praestitit. Ut antea, ita nunc circa ea, quae in supremâ et infimâ A. II. cernuntur, incertus haereo. Quae supra non quidem ومن الله legere licet; neque tamen habeo, quod substituam melius. Dixerim fere, legenda esse رَزَقَ الله, sed quo pacto jungam cum inferioribus, non video, Dies (spero) docebit.

nominis Chalifae paene deprehenditur detrita, quaeque ratione spatii esse quidem potuit ن, ut vere etiam videtur fuisse. Prima autem littera vocis, quam legi خمس, potius خ esse videtur quam ذ; interim tamen vix, aut omnino non, jam dubito nummum ad Chalifam Almotadhed billah referre. Cusus est ergo a. f. 280. Chr. 893. Postmodum alium acquisivi hujus anni nummum cum solo Chalifae Almotadhed billah nomine, quamvis Alschaschae cusus sit ille nummus. Cuncta in eo illaesa sunt, at aera aliter disposita est, quam in hoc nostro; rudiore autem est fabrica, ut solent longe elegantiores esse nummi in Medinatu-s-salam, cusi, quam qui cusi sunt in Mawara-n-nahr.

Ad III, 2. Meam legentis معدن non probas sententiam, propterea quod littera penult. potius *kef* tibi videtur referre. At enim vero in Cuficis inter ل et ك nihil discriminis plerumque intercedit. Conf. sis in eodem Numo وحد, محمد et all. Alterum autem vocabulum الشاش, nunc quidem haesito.

Numo Tuo Samanidico, Bocharae a. 340. cuso, similem edidi in Nov. Symb. p. 12, a Tuo tamen diversum, eo quod nomen Chalifae praemissum Emiro gerit.

Nomen, quod in A. I. numi a. 201. a Mamuno in زرنج cuso deprehendisti, mihi dubium non est, quin كلثوم legendum sit, quod nomen praefecti monetarii fuisse videtur.

Ad Numum Tuum Mamuni a. 205. cusum in معدن, non dubitabis nomina in ejus A. II. obvia, mecum legere hunc in modum العبّاس بن || ابي ايوب.

In N. Tab. II. libenter concedo nomen in A. I. versu penult. positum legendum esse ابو القاسم, neque tamen hoc ipsum nomen ad

المستكفي, sed ad ejus successorem المطيع, cui et ipsi praenomen ابو القاسم erat, traho. vide sis, quae Adlerus in Mus. B. Tomo II. p. 44. sq.

Locutio ممّا امر به quominus vertatur "ex eo, quod praecepit *de hoc*, vel *per se*" usus linguae vetat. Unice vera interpretatio, quam et ipse amplexus es, est: ex eo, quod jussit N. N. i. e. est (hic numus) ex iis, quas (cudi) jussit N. N. به hic idem valet atq بضربه. Errarunt Tychsenius et alii, quibus secus visum.

و quod in supremâ A. II. nonnunquam obvium vulgo pro copula habent, mihi siglum potius esse videtur. Inde est, ubi cum س permutatum deprehendatur. Quid? quod in duos incidi numos, in quorum uno alteri parti symboli Sunnitici subjectum, in altero autem in ipsa A. I. supremâ positum est.

Nec لله ad ipsi plerumque subjectum محمد رسول الله trahere nec "a Deo est M. leg. D." vertere licet. Sed quia de hac voce,

deque aliis, quas epistola Tua tractat, (ut نو الرپاستنبن المشرّف, ann. quo primum versiculum Koranicum لله الامر الآية in numis apparet) in Beiträgen zur Muh. Münzkunde, libro ad Te misso, disserui, hic non attinet huic argumento immorari.

Titulum Numi I. T. IV. puto melius sic disponi:

از جهانگیر شاه اکبر شاه
یافت بروی زر زیور اکره

et 2:di از جهانگیر شاه اکبر شاه
زر رغیب داد سکه در اکره

Ad T. V. N. II. Mihi certum est, pro سنه محب می legendum esse: سنه هجری

Ad Tab. VI. N. I. Titulus sic fortasse melius fluet جهانگیر بادشاه غازی

Ad T. = N. 2. Anno H. 1031. imp. 16.

Ad T. VII. 4. Tit. haud scio an commodius sic disponendus:

شهنشا اکبر جهانگیر شاه زر داد
زر زیور احمد اباد

Ad IX. 4. observo سايه فضل اله non esse vertendum "sub umbra gratiae Dei," sed "(imperator qui est) umbra gratiae Divinae;" siquidem سايه اله vel سايه يزدان, vel ظل حق, vel ظل اله في العالم – umbra s. imago Dei in terris — superbus titulus imperatorum Muhammedanorum est, quo, ut olim Seldschukidae, Bahuridae &c. sic hodiedum Sultani Osmanidici utuntur.

Haec qualiacunque habui, quae ad Numos Tuo commentario illustratos annotarem. Tu recensebis, tu judicabis. Hoc illud si Tuo intelligentis suffragio auctum esse audiero, gaudebo.

Jam quo majorem voluptatem ex lectâ Tuâ epistolâ dicam an commentatione, percepi, eo majori studio Te oro rogoque, ut in posterum etiam similia ex locuplete Tuâ penu Cuficâ mecum communicare haud graveris. Erit id mihi gratum, quam quod gratissimum.

Novam autem illam collectionem nonne brevi in vulgus edes? Nolim talia egregia antiquitatis Muhammedanae monumenta, qualia inter hosce numos Cuficos deprehenduntur, diutius sepulta jacere. Edenti Tibi gratiam habebunt quotquot mecum hanc antiquitatem amore complectuntur.

Pro duobus numis dono mihi datis gratias ago. Ipse a colligendis numis alienus Tuo nomine Museo Asiatico intuli, in quo male desiderabantur.

Gratiam etiam testor pro libris doctissimis, quos bonus muneri mihi dedisti, Commentatt. puto de antiquit. operis rebus in Motala *fl.* et in Westmanlandiâ nuper inventis, et Annott. in Sven Lagerbringii Historiam Sueciae. Te in tantâ provectâ aetate semper adhuc strenuum et gnavum satis admirari non possum.

Libellos novissime à me editos (Beiträge zur Muh. Münzkunde, Nov. Symbolas, et Antiquitatis Muh. Monum. var. P. I.) una cum Diatribe Hezeliana jam diu Tibi redditos esse confido.

In praesentiarum quod mittam non habeo, nisi Ouwarowii V. E. commentationem aliquam: Plura equidem jam diu prelo tradidi, sed, ampliora quippe, hoc qui volvitur anno proditura esse vix puto.

Interim adumbrationem totius qui in Museo nostro Asiatico servatur apparatus numarii his ipsis diebus typographo tradidi, quem libellum, qui versus aestatem hanc exeuntem e prelo prodire poterit, nullâ morâ interpositâ ad Te mittam, quia praeter id, de quo praecipue agit, argumentum, ea quoque enarrat singula atque omnia, quae his in oris nunc cum maxime aguntur ad promovenda litterarum OO. studia.

Quod superest, Te, Senex venerande, etiam atque etiam oro rogoque, id mihi bonus tribuas, ut vitae Tuae signo vel paucis verbis edito, omnem dubitationem sinistram animo meo demas.

Vale et perge, ut coeperas, favere

Nominis Tui illustrissimi

Petropoli cultori observantissimo

d. 20 Jun. 1821. Fræhn.

Binas postmodum a celeberrimo Fraehnio epistolas accepi, humanissimas eas ac politissimas, neque enim a tanto viro aliae dari possunt. E priori, data Petropoli d. $\frac{14}{26}$ Novembr. 1821. haec adscribo:

"Incredibili prorsus me offuderunt laetitiâ novissimae litterae Tuae. Mene igitur per annum fere Te nobis ereptum luxisse frustra! Sed quî, obsecro, fieri potuit, ut nec civium Tuorum ullus, ad quorum nonnullos epistolas in quibus non poteram non tangere acerbissimum mihi damnum, scribendi mihi occasio erat, — quî obsecro, fieri potuit, ut eorum nemo errorem, in quo versabar, mihi demeret. Jam iterum iterumque salve, o senex venerande, quem numophilorum arabicorum Nestorem aetas nostra suspicit atque colit!"

"Tychsenium nostrum fato perfunctum mox Assemanius amicus sequutus est. Legi in "Biblioteca Italiana" quae Mediolani editur, optimum senem d. 8 April. h. a. de vitâ migrasse. O cladem geminam, quam per hosce annos accepit archæologia Arabica. Lætemur igitur exorsos esse, damnum quasi reparaturos in

Germaniâ Moellerum, in Italiâ Castiglionium. Illius de numis Cuficis Musei Gothani Commentationem I Tibi notam esse puto. Hujus opus splendidissimum inscriptum: Monete Cufiche dell' J. R. Museo di Milano, XVIII. tabb. æn. ornatum, nuperrime ad me perlatum est, simul cum descrizione di alcune monete Cufiche del Museo Mainoni, cujus auctor Schiepati. De utroque opere Italico sententiam meam, si modo vacabit, proferendi in ephemeridibus litterarariis Germanicis mihi animus est — — — — —

"Hisce meis litteris adjeci, rogans ut benevole excipias, libellum e prelo recentem, in quo apparatum nostrum numorum Muhammedanorum levi penicillo adumbravi. Spero futurum ut caput de numis Samanidicis praesertim, et tabula conspectum Chanorum Ordæ aureæ exhibens Tibi non improbetur. Interspersas etiam invenies observationes nonnullas, non (puto) inutiles, veluti de Muhammediâ, quam, per saeculum fere a doctis frustra quaesitam, non aliam, quam Rey esse pronuntiavi

p. 19. nixus argumentis, alio loco fuse expositis, item de appellatione Medinet-es-Salam, de numis in التّيمرة، ادبرشهر، نهر تيري، جي — quae urbium nomina alii fere in integro reliquerunt, cusis, et quae id genus alia sunt, quae si Tibi quidem, vir praestantissime, non improbata esse accepero, magnopere laetabor. Sed notam de serie antiquissimorum numorum Umayadicorum p. 15 obviam, deinceps p. 119. sq. a me correctam, ecce jam iterum corrigere cogor. Cognito enim apparatu numorum Mediolanensi, et visis, quos nuperrime amicus e Persia redux mihi monstravit, numis, ordinem eorum ita constituo: Primum locum tenet aureus Mediolanensis a. 77, secundum Stockholmiensis C. Damasci a. 79 a Te illustratus, tertium tenent duo Nejelowienses a. 80. alter *Damasci*, alter – – – (non satis accurate expressi) cusus, quartum autem Amburgeriensis Basrae a. 81 cusus. Hos jam excipiunt, quos nota p. 15 sq. enumerat.

"Formulae مما امر به quum superiores litterae meae fecerint mentionem, en Tibi eam *primo*, quod mihi oblatum est, exemplo *inte-*

gram, deprehensam a me nuper admodum in numo Chani Turkistaniae, quem cum aliis cl. Fuchs Kasanensis ad me misit. Habet autem sic in Part. anticae Margine:

بسم الله امر بضرب هذا الدرهم مكو?
-- بكال باخسيكت سنة خمس عشر (sic)
واربع ما (sic)

"Qui in munus Prof. L. L. O. O. apud Kasanenses mihi successit cl. Erdmannus nuper in vulgus edidit Prodromum ad novam Lexici Willmetiani editionem adornandam, in quo occurrunt, quae ad numos spectant. - - - -"

Sic nummus noster Stockholmiensis, cusus Damasci a. f. 79, non est amplius omnium nummorum Cuficorum huc usque cognitorum antiquitate primus. Secundum vero locum tuetur adhuc atque ornat.

Libro suo, cujus praestantissimus auctor

mentionem injicit, quemque ad me benevole transmisit, hunc dedit titulum: "Das Muhammedanische Münzkabinet des Asiatischen Museums der Kaiserl. Akademie der Wissenschaften zu St. Petersburg - - St. Petersburg 1821. 8:o". Hoc libro, ut et eruditissimis scriptis suis aliis, scientiam antiquitatum et rei nummariae Arabum ingenti auget auctor incremento, novasque dapes apponit quam largissime.

Ex epistola illustris Fræhnii altera, data Petropoli d. $\frac{11}{23}$ Dec. 1821, ista afferre juvat:

"Jam addere mihi liceat scriptiunculam Comitis Castiglioni, quae forte ad manus Tuas nondum pervenerit. In extremo hoc libello sunt, quae legere non piguerit. — Idem auctor in libello inscripto: Monete Cufiche del Museo di Milano, ex quo legendo jam miram voluptatem sumere coepi, p. 52. nomen in infima A. I. numi VI: 24. abs Te descrpti legendum esse احمد بن علي censet; is tamen

quis fuerit, non indicat. Moneo in numo at ipso Mohammediae seu Rey cuso a. 315 a Nasr b. Ahmed Samanide, in inf. quidem A. I. a me lectum esse محمد بن علي. Ecquid forte etiam in numo Tuo محمد latet?"

Hinc nummum, qui est male affectus, iterum iterumque inspexi, et videor mihi ex residuis litterarum fragmentis facile, nec sine veri specie, extricare posse احمد بن علي vix autem محمد بن علي.


Finis.

Errata Typographica graviora.

Pag.	13	lin.	15 hic	lege	hinc
—	28	—	21 سباح	—	سبع
—	34	—	14 وبعبين	—	وسبعين
—	40	—	3 Prophatae	—	Prophetae
—	41	—	4 Labini	—	Libani
—	52	—	5 عريشة	—	عايشة
—	58	—	15 Cha-	—	Chali-
—	60	—	20 solet	—	solet.
—	71	—	12 omis	—	meis
—	78	—	7 filius	—	filiis
—	87	—	12 اسول	—	رسول
—	89	—	16 tetesque	—	testesque
—	105	—	7 (filium	—	filiam
—	115	—	9 ابوب	—	ايوب
—	120	—	1 praecibue	—	praecipue
—	129	lin. 3, 4, 5. pro المعتز بالله, post hunc - - - autem 240 lege المعتز بالله; hujusque anno 240.			
—	132	—	1 inscripto	—	inscriptio
—	167	—	7 similes	—	similis

Pag.	188	lin.	10	الناصر]	lege	الناصر
—	206	—	1	Epigraphae	—	Epigraphe
—	214	—	10	Roschii	—	Rostochii
—	221	—	2	expiscatur	—	expiscatus
—	1	—	2	aerae	—	aere
—	5	—	2	tos	—	catos
—	22	—	7	Professos	—	Professor
—	58	—	7	Mpnetae	—	Moneta
—	81	—	15	intelligentis	—	telligentis.

Tab. I.




Tab.II.



Tab.III.



Tab. IV.



a.f. 1030.



a.f. 1028.



a.f 1029.





a.f. 1029

Tab.V.











Tab. VI.




a. f. 1032.



a. f. 1032.




a. f. 1032.




a. f. 1028.


Tab. VII.




a.f. 1027.




a.f. 1027.



a.f. 1027.



a.f. 1027.



a.f. 1027.

Tab. VIII.












Tab. IX.



Tab. X.

